VITA ET OBITUS DUORUM FRATRUM Suffolciensium, Henrici et Caroli Brandoni prestanti virtute, et splendore nobilitatis ducum illustrissimorum, duabus epistolis explicata.

Adduntur Epitaphia et acroamata in eosdem graece et latine conscripta, cum Cantabrigiensium tum Oxoniensiū iugi cōmentatione et industria.

Affiguntur praeterea ad calcem libri quaedam Epigrammata in alios praeclaros cum viros tum [illegible] mulieres, quibus nomen memora[illegible], et vita summis ornamentis illustrata.

LONDINI.
ANNO DOMINI. M. D. LI.


BRITISH
MUSEUM

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI et domino suo benignissimo, domino Henrico Graio Duci Suffolciæ, et domino Marchioni Dorcestriæ honoratissimo, Thomas VVilsonus famulus deditissimus, Salutem dicit.



Voniam omnis vita nostra nihil aliud est, quam perpetua mortis commentatio, in cuius extrema recordatione, immortalitatis spes omnibus vere christianis affulget: de alia re nulla conuenientius loqui me posse putabam, quam de vltima hac migratione nostra, et postrema rerum omnium meta, mortis imperio et voluntare concludenda. Et cum omnium aures huiusmodi vocibus circumsonare debeant, tum maxime Principum virorũ aures perpetuo sunt imbuendæ talibus et sententijs et opinionibus, quæ vitæ huius fragilitatem, et animorũ nostrorum immortalitatem, expressis imaginibus representent. Intonãt Præcones verbi, clamãt censores grauissimi, docet vita breuis et instabilis, mortem siue deum potius, res omnes terminare, et eo vere bonos deducere, vbi sunt immortales futuri, Exempla ante oculos ponũtur infinitorum funerum hinc inde ruentium, sed memoria nostra nimis lubrica est, et imbecillis, que alioqui deberet esse talium rerum tenacissima. Quanta ...

per strages ad terrã fuit horribiliter deuoluta: quã graue et luctuosum funus nobilissimorum sudoris violentia percussum? Cæterum ex omnibus maxime ingemiscendum est (si tamen est ingemiscendum) heroum Suffolciensium lamentable desiderium: et optandum (si tamen est optandũ) vt nulla talis aliquando calamitas nos omni dignissimos calamitate afflictaret. Sed huius miserabilis interitus nulla nos memoria pungit, nullus mẽtes nostras percellit aculeus ad ærumnosum hoc tempus expendendum, et communẽ naturæ nostræ casum examinandũ. Tua vero celsitudo (dux serenissime) vtrique affinis, valde pie et amanter vtrumque deo commendauit, & adhuc tam inuiolate tenet vtriusque memoriam vt de illis omnia bona et loquaris, & sepe etiã superstites, si deo sic visum fuisset (qui tuus fuit in illos amor) vehemẽter & ex animo solitus sis optare. Ego cum te cognatum vtrique, sic exardescentẽ vtriusque amore intellexissem, & desideriũ tam excellentium puerorum tam Christiane tulisse: non dubitaui apud tuam celsitudinem illorũ memoriam renouare, quos tam intime viuentes non solũ adamasti, sed etiam mortuos omni honore dignos censuisti. Neq; meos ego hic labores, qui sane exiles sunt, sed aliorum exprompta diligẽtiam & nauitatem cõmendabilem, sub tuæ celsitudinis aspectũ studiose conor adferre. Collegi enim pro mea parte aliorũ labores, & vna cõsarcinato-

cinatos in vnũ quasi corpus cõpegi, vt ea ratione tot eximie doctorum industria non solum lectione & varietate ipsa delectabilis esset, sed vsu & exercitatione etiam fructuosa. Ego vero attigi quemadmodum potui, & summatim notaui (pro mea in vtrumque puerum obseruantia) mores & vitã vtriusque, paulo loquacius (dicet aliquis) sed sane (testor deum) quam potui syncere & vere. Quid alij putent de istis Heroibus, et germanis fratribus, liberum illis omnino & integrum relinquo, mihi ergo eadem sit libertas pro mea opinione & iudicio sentiendi. Si quid erro, libenter castigari velo. Verũ melius et laudabilius puto amanter dicendo paulo vberius in re bona loqui, quam fallaciter obtrectando, mortuorũ memoriam vel maculare velle, vel ignominiose obscurare. Ego me tuæ celsitudinis iudicio totum permitto, & ad defendendam tam honesti conatus susceptionẽ, tuum omnino et solum in hac re imploro patrocinium. Vale.

Ad eundem illustrissimũ Ducem Suffolciæ, et dominum suum, eiusdem VVilsoni Carmen.

DVx, decus ecce tuũ, fratrũ spectabile nomẽ,
Et decus o geminum, terra Britanna tuũ:
Nobilitate pares, virtute & honore potentes,
Dux tibi cognatos, mors tulit vna duos.
Nũquid vtroq; velis (dux) iunctus viuere fratre?
Iunctus vtroque (scio) viuere fratre velis.
Est deus, ecce suos rapiet super astra, locabit
Ecce suos cœlo, tempore nempe suo.
Tu decus es patriæ, bene longum viuere debes,
Natus et ad patriam, nunquid abesse potes?
Cum tua virtutum pariatur gloria laude,
Et Christi meritis sit tibi parta salus:
Gloria nõ parua est, honor est, et sũmus habetur,
Viuis & in cœlo, qui bene viuis humi.
Tam cito namq; duces mors festinata, parenti
Sustulit, ut citius uiuat uterque deo.
Omnibus hac iter est, quibus est modo cura salutis
Spes tua sit domino fixa, beatus eris.

Gualteri Haddoni, Cantabrigiensis, Regij PROFESSORIS IN IVRE CIVILI.

Suffolcienses fratres.



Laboriosam, &, si non miserã, certe mirabiliter exercitam, tot cumulatã funeribus Cantabrigiam. Graui nos uulnere percussit hyems, æstas, saucios ad terram afflixit, Calendæ Martiæ, stantem adhuc Academiam nostram, & erectã uehementer impulerunt, & de priori statu suo depresserunt, Idus Iulij nutantem iam & inclinatam oppresserunt. Cum magnus ille fidei magister, & excellens noster in uera religione doctor Martinus Bucerus, frigoribus Hybernis conglaciauisset, tantam in illius occasũ plagam accepisse uidebamur, ut maiorem non solum ullam expectaremus, sed ne posse quidem expectari crederemus. Verum postq̃ inundantes, & in Cantabrigiam efferuescentes æstiui sudores illud præstans & aureolum par Suffolcientium fratrum tum quidem peregrinatum a nobis, sed tamen plane nostrum obruerũt: sic ingemuimus, ut infinitus dolor uix ullam tanti mali leuationem inuenire possit. Perfectus omni scientia pater, & certe senex incomparabilis Martinus Bucerus, licet nec Reip. nec nostro, tamẽ suo tempore mortuus est, nimirum ætate, & annis & morbo affecta. Suffolcienses autem, quos ille florescentes ad omnẽ laudem tanq̃

alumnos disciplinæ reliquit suæ, tam repente sudorũ fluminibus absorpti sunt, ut prius mortem illorũ fleremus, quam morbum animaduerteremus, O crudelem morbum, O mortem acerbam, non illis quidem in portũ ingressis & ibi conquiescentibus, sed nobis in uita iactatis tanꝗ in mari, quibus illorum authoritate & præsidio carendũ erit. Dux enim ipse licet non dum plane uir, tamen & annis ad iuuentutem pene adoleuerat, & ingenio ad omnes res gerendas ita ematuruerat, ut ex his omnibus nihil illi abesset, quibus illustrẽ personam uel ornari deceret, uel institui conueniret. Grauis erat sine superbia, comis sine leuitate, docilitate summa, minimo ut studio esset opus: diligentia tamen eiusmodi quæ naturam posset etiam ex tarditate incitare. Sermo uero pene omnis & de doctrina fuit, & cum uiris doctis, quos & honoratissimæ cura matris illi multos circumfuderat, & ipse plures humanitate asciuerat sua. Nam cum dignitate principibus esset par, tamen generosa quadam ingenuitate animi se cum infimis exæquabat, si quidem ullas eruditionis aut ingenij notas in illorum orationibus inesse intellexisset. Iam congressus nec muti illi erant, nec uulgares, nec rerum colloquia ludicrarum aut leuiũ, sed proponebat aliquid semper de quo & ipse dicebat, ut poterat, & alios audiebat libenter, si quid illis in mentem ueniret. Oratio fuit illius sane prompta & explicata, nec se ipsa iactans, nec

alios

alios excludens, graui quadam perfusa modestia, quam mentis æquabilitate perpetua sic tuebatur, ut nec se ipse unquam desereret in dicendo, nec acerbe quenquam insectaretur. Reliqua uita quæ quidem nobiscum acta est, uel tota literis transmissa, uel illis certe condita fuit, quarum studio sic exarserat, ut nec collegia, nec scholas, nec otia, nec negotia, imo nec mensam, imo nec lectum, prorsus illarum expertes esse sineret. Itaque minimo tempore, maximarum in rerum doctrina sic euolauerat, ut eius etiam extemporalem in differendo facultatem multi possent metuere, nemo contemnere deberet, laudarent sane omnes, & admirarentur, quicunque laude ipsi aut admiratione digni aliquando sunt habiti. Erunt fortasse, qui uel hæc in illo non fuisse, uel non tanta fuisse credant, quanta meis ego uerbis illa facio. Sed hij quicunque sunt, aut illum ignorauerunt, cuius uera uirtus omnem orationis uanitatem repudiabat, aut me profecto non norunt, qui ad publicum tam nobilis personæ testimonium, minime sane mendatium accommodare uelim. Talis igitur certe, talis Henricus ille Suffolciensis fuit, reliquis præstans uniuersis adolescentibus, ipse tum adolescens, & iam appropinquans, ut alijs omnibus uiris, ipse uir anteferretur. Talis illi succreuit frater Carolus, pubescens quidem adhuc, ut in uite gemma, sed qualem nostræ uites gemmam aut parem uix habent, aut certe preciosiorem omnino non habent. Nam illam nostram

Regalem Margaritam, quam nomine nos singulari, Regiæ Maiestatis honoramus, non alicuius urbis, sed totius orbis, non hominum, sed humani generis, non unius nationis, sed uniuersæ naturæ lumen & florem, nemo me ita desipere putet, ut aut comparare cum quoq; uelim omni ex parte incomparabilem, aut nominare pene audeam, nisi magna cura, maiore causa, maximo tempore separatim me ad id præparauerim. Ad Suffolcienses redeo fratres, qui plane fuerunt huiusmodi quales illos pono, uel multo maiores etiam. Nam eorum a me summatim percursa uirtus, campum illum non habet, & curiam Collegiorum & scholarum nostrarum, in quibus libere excurrens non solum uniuersa cognoscebatur, sed etiam singulis partibus aspici poterat & euolui. Deus igitur, noster immortalis pater, cum sua præstanti clemẽtia nobis eximiũ hoc fratrũ par attribuisset, & mater excellẽtissima, lautissimis institutis illos educauisset, Academia deniq; nostra, scientiarum doctrina multiplici perpoliuisset, & subornatos omnium instrumentis præclarissimarum rerum, Respub. iamiam ad se esset euocatura: mirum non est, si mater liberos, & Alumnos Academia, deniq; Respub. Ciues, imo Duces potius, cũ uix e carceribus adhuc egressi essent, in eodem tempore, & in eodem pene uestigio corruisse dolet, præsertim cũ illos quasi turbo quidã, subito corripuerit, ut prius mortui cernerentur, quam morituros quisq; suspicari

spicari

ſpicari poſſet. Atq; hæc quidem cum procul aſpicio, magnã mihi luctus cauſam & mæroris habere uidentur. Sed cum animum adduxi propius, & pænitus in rerum naturam intraui, me ipſe caſtigo, quod ex animi mei mollitia, non ex præſcripto rationis de caſibus humanis exiſtimem. Quid enim illis longior uita profuiſſet? obeſſe potuit, ut obfuit ſane multis, & profecto fortuna plus illis aduerſa potuit auferre, q̃ afferre proſpera. Nũc enim animis optime cõſtitutis, ſequunda fama, nullis odijs, nullis æmulationibus, maxima gratia, ſũmis omniũ ſtudijs, uita quaſi ſõno ſoluti ſunt: quæ, ſi in terris contati eſſent, diuturnitas tẽporis, uel minuere illis multa poterat, uel omnino tollere uniuerſa. Nam & ipſa mutabilis fortuna fertur, & omnia ſunt eius membra cõmutabilia, cuius rei pene tot ſunt teſtes, quot ſunt homines. Itaq; ſi fortunæ regnum expectatur, cum opes, cũ uictorias, cum dignitates cogitamus: occurrant egeſtates, fugæ, ſordes & tenebræ. Nã & iſta ſemper euenire poſſũt, & ſæpenumero ſummis uiris eueniſſe ſcimus. Sed natura cũ ægregie ſe in illis oſtẽdiſſet, durũ eſt quod ipſa prius ſe retexebat, quam eius pulcherrimis muneribus frui poterant. Recte eſſet, ſi quidem illis frueremur, quibus maxima ex parte ne uti quidem licet. Nam ut ordiar a ſanitate, quæ reliquis ſpiritum & uitam impertit, & quæ ſi loco mota eſt, alia cohærere non poſſunt, ſub omnes illa morborum offenſiones per-

petuo subiecta est, qui aceruatim & spisse ueniūt, ut semper aliquis illorum, in uitam nostram transuersus incurrat. Itaq; Suffolciensibus plane gratulor, qui celeriter uita lapsi sunt. Nam si paulum tardauissent, ad extremum tamen illis occumbendum erat, & interim aut neruorum contractiones illos strinxissent, aut flammæ febriū incendissent, aut frigora distillationum illiquefecissent, aut intendissent tumores, aut tabes contriuissent. At nō fuissent ista fortassis, at esse solent, at non semper, at plerumq;, at non omnibus, at sane plurimis, at illis nō accidissent, at nescimus, at sperari poterat, at metui debebat potius. Nam in toto hoc genere & in uniuerso siue fortunæ strepitu, siue apparatu naturæ, sunt illa profecto uerissima Ciceronis nostri non solum Oratoris eloquentissimi, sed etiam sapientissimi ciuis & plane ueteratoris in cōmuni uita, plures esse infœlices, quam fortunatos: & prudentius metuere nos, quam sperare, tum illud etiam, multo sæpius lachrimatū esse Priamū in uita, q̄ Troilum. Testes affert Cæsarem, & Pōpeium, qui cum per omnes dignitatum gradus ad maturam ætatem ascendissent, illorum extrema tempora miserabilibus in ruinis iacuerunt, & alter tādem exul a barbaris, alter a necessarijs in senatu trucidatus est. Principes nominamus Reip. Romanæ, poteramus greges coaceruare reliquorum ordinum: sed externa prætermittantur, domesticos annales excutiamus, & quoniam a

princibus ſumus exorſi, commoremur in illis,& quidem una familia contenti ſimus. Et quamq; patrem poteramus, tamen filium ſumamus Eduardum tertium,cuius cum adoleſcentia Scotiam fregiſſet, iuuentus Galliam & omnem Aquitaniam maximis & continuis uictorijs peragrauiſſet,inclinata iam & ingraueſcens ætas,maximam horum partem ornamentorũ illi detraxit,& belli calamitates,domeſtico funere nobiliſſimi principis Eduardi filij,cumulauit.Itaq; qui iuuenis mori potuiſſet ipſe Rex, & Imperator,& filium relinquens Aquitaniæ principem, ſenex tandem mortuus eſt, Rex ille quidẽ, & ſingulari uirtute, ſed tamen multo minore bellica gloria,& multo maiore domeſtico mærore.princeps filius,hæres dũ uixit patris fortunæ, primas res geſtas habuit incredibiles, poſtremas, morbi labe deformatas & ſeditionis.Richardus ſecundus,principis Eduardi filius,& Regis nepos, ad paternos deuolutus eſt & auitos caſus. Nam & puer renunciatus eſt Rex, & in regno fœliciter adoleuit, at paulo poſt ita uir præcipitatus eſt, ut priuatus ſit mortuus.In regibus igitur ſi fortuna ſic ludit,& eludit, quantas in populo ſtrages edit? dicerẽ ſi eſſet neceſſe,ſed ſatis nos communis uita docet.Illam autem ipſam matrem Suffolcienſium optimam & præclariſſimam mihi cognitam fœminam ſic aliquot anni poſteriores exercuerunt,ut minime ſanè dubitem,quin illis ſi potuiſſet, libenter fuiſſet

caritura. Quapropter ut tecum nunc aliquantisper agam, te nunc appello siue coniux nominaris mariti Ducis, siue mater Ducis filij, si deus optionẽ tibi dedisset, ut coniux & mater uel in illa ætate efferrere ipsa, in qua liberos extulisti tuos, uel funus primũ mariti, ita ut euenit, deinde gnatorum, nec coniux ipsa iam, nec mater cerneres: si deus (inquam) optionem dedisset, & legere tuam te iussisset conditionem, utrum sumpsisses? Aut ego tuum non noui tenerum & indulgentem animum, aut tuorum clades posteriorũ temporũ, superiorum annorum amissione, uel redemisses, uel declinauisses. Igitur & alij te condocefaciant, & in primis ipsa ex te disce, quid longa series annorum afferat, imo quid auferat potius (ut ante dixeram) & præclare cum tuis heroibus actũ esse puta, qui in summa rerum omnium prosperitate uiuentes, non dum uertente fortuna, sic uitam dimiserunt suam, ut honore abũdantes, & ingenio excellentes, ut literis florentes, & gratia, nihil haberent inuidiæ, nihil odij, nihil simultatis, nihil inimicitiarum, qui suis temporibus optimis, morte tanꝗ somno consopiti, nec tuum funus uiderunt, nec cæteras tempestates reformidant, quas uel suas, uel suorum maximas, longior illis dies inuexisset. Quod si non acquiescis adhuc (tuum enim argumentosum agnosco in differẽdo, & minime cedens acumen) & externis te nõ commoueri dicis, sed illam te lucem, & splendorem animorum

desyderare, qui tuis in liberis apparuerit, non cu-
rare te fortunā, qualis fuerit, aut fuisset, uerū pie-
tatem, literas, & reliquam omnē insitam bonitatē
& amauisse te præsentem, & absentem ualde re-
quirere. Hijs te lætatam fuisse interioribus orna-
mentis iam uirescentibus, & ijsdem angi te tam
subito, & ante tempus euulsis, & eradicatis. Hæc,
si disertus contra te, tuus dolor disputabit, breui-
ter illis omnibus, & uere a me occurri potest. Ve-
nisse tuos liberos ad illum ætatis flexum, in quo
multi indole excellenti aberrauissent, uenisse ad
illum lubricum & præcipitem locum, in quo uo-
luptas tot delectationes huic ætati profundat, ut
prorsus difficile sit illarum aliqua, mentem a rati-
one & officio non detorqueri. Meis nihil horum
inquis, accidisset fortasse. Sed tamē nec certo sci-
ebas, nec illis uiuis non metuere poteras, Si me-
tuisse neges, tabulis obsignatis tecum agam, & hi-
storiam omnium illorum temporum tibi repli-
cabo, in quibus pie mecum & diuine loqui sole-
bas, multum tamen & uehementer: ut facile te la-
borare cernerem, quomodo custodienda filiorū
tuorum pubertas, quibus institutis moderanda,
quibus habenis refrænanda, & deuincienda esset.
Hanc Deus tibi dubitationem exemit, hanc folli-
citudinem detraxit. Si nescis quanto bono, quam
summa fœlicitate tua: age uero circūspice paulū,
alienas familias nōnihil animo contracta, uidebis
quanto dolore, quanto gemitu, tum suo suorum,

quam

quam multæ,& magnæ,diu uiuendo degenerauerint,et in acerbissimas miserias cõtrusæ sint. Titus Imperator Romanus,Hẽrici tui similis in uita,similiter etiã in adolescentia mortuus est,cuius illa fertur in ipsa morte diuinissima uox,se cum ad omnem uitam respectaret suam, & in eam intueretur,solũ in uniuersa rem unam repperisse,cuius se pœniteret. Eandem aut certe similem Henricus tuus uocem usurpare poterat,& Carolus multo magis. At nec Titus potuisset ipse, si longiorem deus illi uitam dedisset,nec Suffolcienses potuissent tui. Nam & Vespasianus Titi pater,oppressus à suis & superiorum temporum multi in initio clarissimi Imperatores,longinquitate temporis ita peruertebantur,ut uel ipsi in se incurrerent,uel in propinquorum,aut ciuium sane suorũ uim inciderent. Totum igitur hunc locum ita cõcludam: Deum non iratum gnatis tuis ante tẽpus eripuisse uitam,sed clementem, tempestiuam donauisse mortem. Reddidit enim pro terra cœlum, pro labore quietem,pro incertis certa,pro humanis diuina. Quod si magis distincte libet,& particulatim agere,cur tumultuaris? Quid uis? quid queris? expetisti liberos? habuisti. Præclara indole? fuerunt. Honoratos esse? maxime. Bene educatos? optime. Perfectos omni genere laudis? ita cognitis sunt. At fuissent maiore gloria,si uixissent. At nunc mortui sunt maxima. At interim terris sublati sunt. Imo in cœlũ translati sunt. At illorũ

conuictu

conuictu cares, & illi tuo. Primum illi te non carent iuncti deo, ne tu quidem illis cares, nisi forte inuides. Nunc enim pro creatura mortali matre, patrem habent immortalem Deum. Et ipsi prius creaturæ mortales, nūc spiritus sunt immortales. Quapropter uniuersam excita pietatem, & gratiam, quæ large tibi deus affudit, & non solū omnis tibi considebit & sepelietur dolor, sed etiā uehementer lætabere tam breui tempore tuos filios mortis terroribus perfunctos esse, ad quos nos quotidie uela damus, &, si reflantibus uentis non nihil reijcimur, interim angimur in uita, & tamen paulo post eodem erit immigandum, & quidem cum impeditiores erimus, quam Suffocienses fuerunt tui. Cum hæc maxime scriberem, Henricus Haurardus, Thomæ filius natu maximus, animam agebat, puer ille quidem adhuc, sed mãsueto puer ingenio, & præclaræ spei. Quē si Deus ex ærūnis huius uitæ nondum gustatis, ad coelum euocauerit, annon nepos Troilus iste mortem habebit, Priami illius aui Norfolciensis uita, multo fortunatiorem? Hic in uita riserat pene semper, flerat nunq̃, nimirū & puer, & puerili innocentia. Norfolciensis senex, exacta ætate quam magnas & incredibiles diu uiuendo, calamitates hausit? Sed satis est domesticorum testium, & tecum satis est sermonis o præclarissima Suffolciensis. Nunc in his mihi terminetur oratio, quæ nō sunt proprie tua, sed communia sane omniū. Socrates in Gen-

tili sapientia Deus, cum duceretur ad mortem, æ quissime ferebat, hoc ipsum prouidens, immensas huius uitæ miserias, tũ longius etiam euectus, non semel, sed sæpe se dicit uelle mori, terrenam ut huius corporis molẽ cupiditatũ fœcibus oblitam deponere possit, ut Aeacum et Agamemnonem, & Vlyssem, & reliquam commentitiorum turbam heroum apud inferos degentium contempletur, & cum illis se coniungat: Et nos non pudet qui Christiani esse uolumus, tã grauatè ad mortem ire, cum nobis non ad fabulosos iudices, sed ad deum patrem, non ad uana delirantium Philosophorum somnia, sed ad Christum, ueram æterni patris sapientiam proficiscendum sit? Iob exercitatissimus in carnè nostra cõmuni uir, militiam esse dicit uitam præsentem. Ecquis igitur tã amens est, ut libenter in acie stare uelit, ut semper pugnet, semper in pellibus excubet? præsertim cum tot et tam horribiles undiq; circumfusos hostes habeat: interiores, mundũ, carnem, et Diabolum, exteriores, illos qui ante a nobis tacti sunt. Intus, pugnæ, foras, terrores. Clamat Paulus singularis in nostra fide princeps, & nobis denunciare non uidetur, ut quantum possimus ab hoc sæculo abalienemur, et semper ad uitam nouam, sæculum nouum, terram nouã, uota faciamus? Nostra religio peregrinari præsentem dicit uitam a deo, sursum esse Hierusalem illam optabilem, ueram Christianorum patriam. In illa Natione re-

gnum

gnum eſt Chriſti, Martyrum triumphus, omniũ corona Chriſtianorũ militum. Huc omnes noſtri maiores uniuerſorum temporum, ueram ſecum fidem afferentes, aſſumpti ſunt. Huc recens Martinus Bucerus, noſter excellens magiſter euolauit et recentiſſime ſequuti magiſtrum, diſcipuli Suffolcienſes Illis itaq; gratulemur collocatis in cœleſtia patriæ, nos autem in hoc exilio terreſtri tumultuãtes, ſemper mortis tempus, hoc eſt, ſupremum ſeruitutis, & primum libertatis noſtræ diem patienter expectemus abſentem, & cupide præſentem arripiamus, ut in hac uita legitime certantes, et laborantes quantum licet, ad illas enauigemus diuinas oras, & quidem uelis panſis, feremur enim filij ad patrem, creaturæ ad creatorem, exules ad patriam, ſerui ad libertatem.

Quam nobis libertatem Deus omnis ueræ libertatis author, Ieſu Chriſti reſpectu, dei domini q; noſtri, mature concedat.

DE VITA ET OBITV FRAtrum Suffolciensium, Thomas Vvilsonus vtrique olim famulus.



Nglia, olim ter fœlix, Anglia olim Insula nulli regno posthabenda, Anglia nunc, si non ter misera, certe non ita fortunata, certe seipsa longe inferior, cum ob intestinas seditiones vehementer olim afflictata, tum ob inediam nuper, et sudorem contagiosissimum grauissime lacerata. Verum ex omni memoria, nulla calamitas (meo quidem iudicio) contigit grauior, nullum malum in hanc rem pub. lamentabilius inuectum est, quam quod fratres Suffolcienses iam puberes, et ad omnem laudem ematurescentes, ex huius vitæ splendore in primo ætatis cursu euolauerunt. Nam ego qui intime vtrumque cognoui, & vtrique deditus cum vtroque vixi: facile scio vtrumque fuisse in omne vita honoratissimum: in conformatione morum, excultissimum: in sermone toto, & facilitate naturæ, modestissimum: & propterea constanti hominum memoria comprehendendum. Et cum ipsa respub. prudentũ cõsilio perpetuo nitatur, & ruitura semper esset, nisi grauissimorum authoritate suffulciatur, mihi quidem horribiliter sauciata videtur orbitate & desyderio Heroum Suffolciensium prestantissimorum. In quorum ætate iam tenera, talis efflo-

rescebat

rescebat animositas, & tanta virtutum exardesce-bat conspiratio, vt maturitas rerũ post expectan-da, omnium non solum orationem, sed multorũ etiam cogitationem longissime superaret. Tales enim ambo fuerunt, quales etiam pauci sunt: tales autem esse potuissent ex omni similitudine veri, quales iam nulli sunt. Multum videor dicere, sed nihil supra fidem, si quis in illorum vitam inspec-tare, & incunabula virtutum quibus pueri illustra bantur, a primis annis repetendo, velit recensere. Q uiapropter vt conspectior sit vtriusque virtus et prestabilis natura tam excellentium puerorũ posteritati cõmendabilior: paulo altius repeten-dam putaui vtriusque prosapiam, mores illorum plenius indagandos, & reliquum vitæ cursum li-quidius percensendum. Sed ita tamen, vt omnes mirabilius quiddã de illis suspicentur, & maiora in animis cogitent, quam quantum a me vel ex-primitur, vel exprimi potest. V terque iisdem pa-rentibus cum procreatus, tum etiam natus, mag-nam nominis famam, ex vtriusque splendore & celebritate consequutus est. Pater tam charus fuit Henrico octauo Angliæ Regi særeníssimo, prop ter infinitas virtutes suas, & militaris disciplinæ prestantiam, vt ad summũ honorem euocaretur, et matrimonio Regis sororem, Galliæ Reginam spectatissimam, sibi adiungeret. De cuius animo-sitate in bello, prudentia in pace, consilio in vtro-que, si sermonem iustum instituere velim: exitũ

credo non inuenirem, & prius verba deessent ad expoliendum tantum principem, quam materia ad exornandum: sic vt labor mihi non quærendæ laudis, sed statuendi modi susceptus videretur. Quapropter testetur Anglia victorias eius separatim, quas Gallia omnis passim exhorrescit; loquantur nostrates accõmodato & loco & tẽpore tanti Imperatoris præstãtiam, quam externi contremiscentes dum in viuis esset, perpetuo sentiebant. Ego cogor tacere, quoniam nunc dicendi tempus non est, et, si maxime esset, vires tamẽ desunt ad exornandũ tam excellens patriæ lumen. Mortua sorore Regis, duxit clarissimam virginẽ Catarinam, ex illustri VVilloughbeorũ genere ortam, & hæredem cælebertimam, ex qua foetus genuit clarissimos, sed moriens tantum duos reliquit superstites, Henricũ Ducem Suffolciæ octo annos natum, & dominũ Carolum fratrem duobus annis minorem. Mater post mariti obitum, in hoc solũ omnes cogitationes suas defixit, vt duos filios tanti viri, tantæq; spei infantes optime educaret: & cursum vitæ quem iam laudabiliter inchoauerunt, cũ summa præstãtia & singulari cõmendatione tandem aliquando consummarent. Quapropter vsa cõsilio honestissimorũ, & maxime consideratorũ, curauit illos bene instituendos omnibus liberalibus cognitionibus, & presertim doctrina christiana, qua illi supra cæteros longe eminebant, Henricus Edvardo nunc Regi sere-

nissimo

niſſimo, tum principi, & hæredi huius Regni, obſequium ſuum detulit, omni illū obſeruantia colens, & in iiſdem cum illo ſtudiis progrediens, in quibus ſic opera excellētiſſimi Checi profecit, vt Regi chariſſimus eſſet, & ex omnibus maxime dignus haberetur. Quam quidem rem cum perſpexiſſet mater, intime ipſa eſt gauiſa, quod filiū haberet tali ingenio prææditum. Et propterea vt omnibus numeris abſolutus eſſet, & perfectus artifex rerum cognoſcendarum, adſciuit filio peculiarem, & ſeparatum pædagogum, cuius diligentia vberius promoueret in doctrina, & expectationem omniū longiſſime ſuperaret, vt ea ratione Regis quoque in illum charitas indies exaugeretur. Quid vultis? Euenta non ſolum reſponderūt expectationi matris, ſed aliorū etiā opinionē longiſſime ſuperarunt. Nam ſic profecit Dux Henricus breui tēporis ſpacio, tam græca quam latina lingua, vt nō vnus inter multos plebeius eſſet, ſed vnus e multis, atque adeo ex omnibus ſingularis; non quem pauci laudarent, ſed quem omnes admirarentur, non quē vulgus tantū coleret, ſed quē principes mirabiliter ſuſpicerēt, non quem Rex mediocri loco haberet, ſed quem vnum maxime adamaret. Carolus iiſdem temporibus, domi non in ſinu matris alebatur, neque in ancillarum gremio deliteſcebat, ſed quomodo per ætatem potuit, doctrinam tam auide arripuit, & ſic ad ſtudia aſſuefactus eſt tēporis progreſſione vt magnam

omnibus spem futuræ maturitatis præberet.
Mirabilis in vtroque virtus, & incredibilis natu-
ræ vis, ad res quascunque capessendas. Henricus
summa corporis proceritate commẽdabilis fuit,
animosus, fortis, robustus, & ad militarem disci-
plinam, non factus, sed natus, non exercitio tan-
tũm paratus, sed etiam naturæ lege procreatus,
sic vt Martis filius merito haberetur. Carolus in
cuius ore summa venustas residebat, non robu-
bustus erat, sed elegans, non mole corporis mag-
nus, sed æquabili mẽbrorum compositione ad-
modum spectabilis, statura breui, sed commoda,
iunctura partiũ & copulatione ægregia: ad artes
liberales ediscendas natura promptissimus, & ad
musica instrumẽta itaq; naturæ prouisione fabri-
catus testudinem pulsare tam scienter didicit, vt
musarum et Mineruæ filius haberetur. Dux Hen-
ricus tuba accendebatur, Carolus cithara permul-
cebatur, vterque doctrinæ studio mirabiliter in-
flammabatur. In Henrico videbar agnoscere sũ-
mam grauitatem singulari constantia tempera-
tam: In Carolo excellens acumẽ & corporis agi-
litatem obstupescendam: In illo senilem prudẽ-
tiam, in isto iuuenile ingenium: In illo cõsilium,
in isto vigorem: In illo austeritatem, in isto festi-
uitatem: in illius vultu authoritatem, in istius hu-
manitatem: In illo granditatem orationis & stabi-
litatis, in isto immensitatem facetiarum & vrba-
nitatis: Alter dignitate præstans, alter lenitate
com-

ſhendabilis: Henricus in ſermone parcus omnes res ſuis ponderibus librans, à paucis intime cognoſcebatur, Carolus lingua expeditus, & ad amicitias colligendas admodum facilis, apertus fuit in omnibus vitæ partibus: Ille falli vix potuit etiam ab ijs quos ipſe exiſtimaret amiciſſimos: hic, ſub prætextu et ſimulatione amicitiæ ab alijs falli cito potuit, vt pote ad credendū plus quam frater proclivis. Ille cautus, hic credulus, ille inſidias timens, tuto ſibi cauit, hic õnes ex ore iudicās, nihil fere timebat ſimulatū. In vtroque amor ſingularis erga omnes bonos, ſed ratio eligendi in vtroque diuerſa. Alius Henricum admiraretur & abditos mores approbaret: Alius Carolum laude & uirtute non inferiorem iudicaret. Varietate linguarum vterq; mirabiliter excellebat, Sed Henricus Græcis literis non ſolum fratrem ſuperauit, ſed multos etiā ætate prouectiores longe poſt ſe reliquit. Latina vero lingua vtrique ex æquo nota fuit. Eadem ratione lingua Italica par vtrique & familiaris fuit. Henricus vero etiam Gallice vtcunque loquebatur, & exercebat ſe iſto ſermone valde diligenter paulo ante obitum, quoniam intellexit peropus eſſe propter Gallorum vicinitatem Gallicam tenere linguā. De cuius expeditione in Galliā cum obſes eſſet, ſi loqui velim, lachrymas (credo) pius lector nō teneret, aut is ſaltē qui ſpectaculo interfuit rerū ab illo geſtarum. Quam militariter incitauit equum, annos natus plus minus quindecim,

 et annulū

et annulis hasta abstulit inter summos proceres Galliæ, & exercitatissimos militaris disciplinæ imperatores? Sed nolo in istis immorari, doctrinæ tantum studia in vtroque potius admirabor. Carolus anno ætatis duodecimo Cantabrigiam deductus est, quo loco literas tam auide arripuit, propter summam ingenij docilitatem, vt æquales suos omnes acumine & facultate longe præstaret, & generosissimũ quemcunque non solum exequare sed etiã superare enixissime conaretur. Anno sequente venerandus pater Martinus Bucerus patriam relinquens Cantabrigiam venit, & publice Theologiam professus est, summa cum vtilitate audientium, quem dominus Carolus tam attente audiebat, & sic oblectabatur vniuerso sermone eius vt calamo conaretur excipere, quicquid publice doceret. Atque vt testatior sit voluntas eius in tantũ virum, contendebat a me, vt post lectionem auditam, ipse psalmum publice & ex more legeret, quod quidem ab eo factum est. Eodem anno (nã istis duobus annis Cantabrigie literarum causa hyemauit) etiam frater Henricus ab Aula Regis ad Academiã opera matris euocabatur, id quod multi pie factum interpretabantur, alij offensiores facti, quod a Regis latere tam excellens iuuenis abriperetur, iniquo animo discessionem eius ferebãt. Vnde liquido apparet quam charus fuit omnibus, præsertim cum omnes fere certatim cõtenderent tam eximio principi consulere, & commodissime

modissime prouidere, quasi in illo vno (post serenissimum Regem nostrum quem omni laude superiorē puto) ingens reipublicæ cardo verteretur. Rex inuitissime dimittebat, precibus tamen fatigatus, fecit abeundi potestatē, et eo quidē libētius quod ad musarū sedē, & Palatium proficisceretur. Mater læta quod filium ab Aula ad scholā abripuisset, statuit ipsa primo quoque tempore Cantabrigiam proficisci, vt præsens & videns viua testis sit progressionis & maturitatis vtriusq;. Sed ecce tibi malum magnum, & haud scio an grauius esse possit, si vel Platoni vel Prophetæ credendum sit, qui affirmant tū demum miserā esse Rempublicam cum sapiens vir, & pietate supra cæteros cōmendabilis fatorum necessitate ex hac tollatur vita. Bucerus pater ecclesiæ memorabilis, et doctrinæ christianæ basis certissima, morbo intestino fractus, & calculi ægritudine valde debilitatus, ex hac discessit vita. Quo quidem tempore tam anxia fuit Dux Suffolciæ Catarina, & desyderio tanti patris tam grauiter laborauit, vt dolori vix vllū finē poneret. Nam statuebat ipsa vt dux Henricus filius, in Academia aliquando esset, cuius institutorem Bucerus se fore profitebatur. Cæterum mater ipsa tandem aliquando se collegit, & aliquam spem sibi relictam sperans, intellexit etiam multos esse in Academia, quorum familiaritate & consuetudine filius promoueret in omni pietate & doctrina. Quapropter Doctoris Had-

doni auxilium implorat, viri cum prudentia tum doctrina ex ōni ætate nostra disertissimi, & illius fidei vtrumq; filiū cōmendat. Haddonus tametsi morbo intestino laborauit, & præ dolore corporis vix vllos animi sustinere potuit labores, non detrectauit tantum onus, sed studio prouectus gratificandi tum matri, tum filio, adiuuit sæpe ipsum Ducem consilio & doctrina sua, & cum non posset per valitudinem perreptare foras, epistolis bene longe inuitauit ad studia, & res serias cōmentatus est, vt tantū Principem ad respōdendū eliceret, & illum omni ratione informaret. Atque ita nulla hebdomada elapsa est, in qua binæ epistolæ ab vtraque parte missæ non obuolitarent, qua quidem exercitatione, breui sic profecit dux Henricus, vt ad stuporem vsque, omnium oculos in se converteret. Nam assiduitate scribendi, summam etiam dicendi facultatem assequutus est. Et quemadmodum se gessit Haddonus aduersus Ducem Henricum, eodem modo affectus fuit erga Carolum fratrem. Nam non solū scripsit sæpe, sed etiā priuatim docuit instituta iuris ciuilis, quæ alias publice profitebatur. Mater conscia istarum rerū (nam Cantabrigiæ, etiam in media discentiū turba vixit) alias preterea vias persequebatur, quibus omnes illorum conatus ad studia dirigerentur. Et vt nulla hora periret absque fructu, etiam in prandijs & in cœnis curauit, vt Dux Henricus separata cum suis mensa sederet, & in ipso initio

iussit

iuſſit vtrumque filium alternis vicibus legere caput vnum ex Euāgelio græce, & id poſt explicare Anglice, vt omnes audirent vocem Euangelij. Quod cum feciſſent, gratias agerent mutatis vicibus, & diſcumbentes proponerent queſtionem vel de cognitione philoſophica, vel de doctrina euangelica, ſic vt & latine diſputando, & pie loquendo, totum prandij tempus abiret. Tandē cum vltro citroque cauſa agitata eſſet, aſſidentes interponebant ſententiam (nam docti ſolum occupabant mēſam Ducis) & varijs rationibus ſuas quiſq; partes tuebatur, donec ſemihora effluxiſſet, quo quidē tempore abrumpebatur diſputatio & de alijs quibuſcunq; rebus agitatum eſt. Poſtq̄ naturæ ſatiſfactum eſt, et fames vtcunq; fuit edomita, iterum gratiæ deo agebantur, vnde ſtatim dominus dux ſubſequentibus cæteris ad hoc ſolū deſtinatis, recenſebat hiſtoriā, vel Epiphonema aliquod, ad mores & informationē vitæ, accō modatum. Vterq; diem a precibus, & lectione Euāgelij auſpicatus eſt, quam omnino rationem, vterque ſub horā ſomni, ſequutus eſt. Si quæ publica diſputatio haberetur, preſertim viro memorabili in ſuggeſtum aſcendente, Dux Henricus interfuit vna cum ſuis, & auditorem ſe oſtendit valde diligentem. Ita vero prælectionum publicarum ſtudio capiebatur, vt ſingulis auroris hora octaua audiret Carrū doctiſſimū virum, Platonē græce in publicis ſcholis prælegentem. Cuius quidem

prælectionem Dux Henricus, & frater Carolus, (nam eadē studia vterque sequebatur) dispositis vicibus & Latine & Anglice vertebant, vt quod Dux explicuisset e græco latine, id frater e græco in vernaculā linguam verteret, & vice versa, Carolus latine redderet, quod frater explicuisset Anglice. Tempore vero certo vterq; matri labores ostendit suos, vt illa testis esset, & particeps progressionis versusque. Præterea si quæ disputatio haberetur publice, digna cōmemoratione, mater statim post exemplar habuit vtriusq; fratris opera exædificatum. Vterque in Collegio Ioannis separatis cubiculis partitus est diem in certa quedā studia, sic vt singulis diebus quatuor horæ in studijs priuatis collocarentur, & ratio recte redderetur laboris collocati. Neuter aberat domesticis disputationibus, sed tā attente & auide audiuit vterque, vt sepissime dux Henricus interponeret se illorum conflictationibus, & respondentem fortiter adoriretur, præsertim si falsam religionem, & doctrinā pharisaicam (quemadmodū aliquando accidit) tuendam quis suscepisset. Sed deus bone quo ardore, quo acumine, qua facilitate dicendi, & quanta cautione disceptabat? Coarguant Cantabrigiēses, si quid mētiar, vix in viris multis qui profitentur artes liberales, & hoc nomine insigniuntur, ea fuit dicendi promptitudo, & acumen disceptādi. Frater Carolus ægre tacebat, et me (vel inuito sæpe, aut saltem absente & ignorante) op-

pugnaret

pugnaret aduersarium. Quem cu vidissem sic in-
flāmatū cupiditate heroica disputādi, passus sum
in publicas scholas prodire, vt Sophistarū argu-
tias experiretur, et tendicula subdolorū cognosce-
ret. Sed quid dicā? Laudabo disputante, & sic se in
vulgus efferente? vix audeo, ne videar ipse me lau-
dare, quod quidem velim a me esse remotissimū.
Sed permittam totū hoc Cantabrigiensibus meis,
& tamē aliquid summatim ponā de ijs rebus quae
natura, non labore meo in tam excellente pue-
ro insita fuerunt. Acumen habuit supra quam
dici potest promptissimum, ad excipiendum res
quascūq;, sic ut facilius deesset praeceptor qui do-
ceret, quam puer qui perciperet uel difficillima.
Et ad huius rei experimentum, adsciui doctissi-
mos in Mathematicis, caussas omnium difficilli-
mas ad intelligendū proponētes, quas ille primo
quoque tempore tam facile arripuit, ut nusquam
uerius mihi uisum sit illud Platonis (discere est re-
cordari) quam in illo puero. Ardor in disputatio-
nibus immensus, ita tamen acumine conditus, ut
omnes in admirationem sui traheret. Ego uero
cum aliquando offensior illi factus essem, quod
nimis esset uehemens disputator, et propterea in-
terdixi scholas, ne turbas cieret, & animos homi-
num abalienaret: ille (qua fuit disputandi cupidi-
tate) precibus urgebat, ut potius lueret poenas
quod immoderatus esset, quam quod omnino ab-
esset scholis, & sua uoluptate priuaretur. Ex qua

re certo collegi, illu aliquando si uixisset, in summum et Principē uiri euasurum, praesertim cum tot haberet, & tam speciosa naturae ornamenta, cū tanto animi ardore coniuncta. Dux Henricus cum audiuisset aliquando fratrem uiriliter in publicis scholis defendentem caussas suas contra Sophistarum spinosa argumenta, perrepsit ipse ad scholas, & argumentationibus utrinque coram agitatis, petebat a moderatore scholae, ut ipse aliquid pro fratre suo diceret, quem uidebat unum aduersus alios Sophistas, partes suas animose defendentem. Sed quid dicam? Intelligebant quam non segniter uixisset rātus princeps, qui modo ab Aula Regis ueniēs, & scribendi tantum usu cum Haddono nostro ad paruum tempus exercitatus: extemporali oratione sic permulcebat omnium aures, ut si non alia ratione, certe doctrinae caussa, summo honore dignus esset. Taceo orationem illam quam habuit in Collegio Ioannis de diuitijs non expetendis, & cōfutationem quam adhibuit ex tēpore. Taceo domesticas conflictationes, in quibus egregium se ostendit artificem. Quid opus est multis? Dux Henricus annum nondum habens decimum sextum, tanta fuit ingenij excellentia, & tam singulari puer cognitione, ut doctissimus apud omnes (aetatis ratione habita) merito haberetur. Carolus frater annos nondū numerans quatuordecim, ingenio fratri par, doctrina, (si aetatem spectes) non inferior. Ipsa Academia

cum

cum uidisset tantum Principem qualis Henricus fuit, doctrina sic excellere, ut dubitandum sit, nobilior ne fuerit an doctior, cum tamen fuisset nobilissimus, conuocato consilio insigne aliquod tã quam doctrinæ ornamentũ illi deferendũ curauit. Quapropter Vicecãcellarius duobus procuratoribus sociatus, præeuntibus tribus Bedillis tres baculos argenteos gestantibus, uenit ad cubiculũ Ducis, & illi obtulit diploma, sigillo Academiæ signatum, quo inauguratus fuit publico consensu in proxima Comitia, nomine & dignitate Magistri, artium liberalium professoris. Ille uero (qua fuit modestia & singulari prudentia) dixit se indignũ fuisse tãto honore, & propterea par nõ esse, ut ille ornamẽtis alienis illustraretur. Aulicus fui (inquit) & uix literas degustaui, tantum abest ut ad tantum honorẽ ascendere dignus sim: & quidem Cantabrigiensiũ ornamenta, superiora sunt doctrina Aulica. Quapropter ornari nollẽ, tãto præsertim ornamento indignissimus, Nam quid uulgo iactabitur: Dignitas hæc ob honorem, non ob doctrinam parta est, & alienis plumis uestitus est implumis coruus. Cui Vicecancellarius. Scimus certe (ornatissime Princeps) progressiones tuas, & uidemus plane quã mirabiliter expectationem nostrã superas. Neque solum quod honorabilis es, tantum decoramus Principẽ, sed quod uere es doctrina, & artibus memorabilis. Tandẽ cum sic urgeret Vicecancellarius, Princeps ipse

inuitissime assentiebatur, sed ita, ut sequente anno post aliquam maturitatem ex Cantabrigiensium consuetudine comparatam, inauguraretur. Instabāt Comitia magna, medio æstatis cælebrata, quibus interfuerunt ambo fratres, & præsentia sua, plus quam dici potest, animos Cantabrigiẽsium oblectauerũt. Henricus qui semper in ore habebat suum Regem, cogitabat omnem ordinem literis mandare, & semel perpolitum Regiæ Maiestati commendare. Nam tametsi statim post Comitia, Britannicus iste sudor omnium aures personabat, & breui post in ipsam subito irruebat Academiam: Dux Henricus cogitabat de Comitiorum ordine, & toto genere disputationum pluribus uerbis expingendo. Itaque exorsus ab ipsa cælebritate & solemni ratione, accurate percẽsuit magnam partem Comitiorum, sed sudore subito Cantabrigiam inuadente, coactus est abrumpere institutam rationem, & morbo ipso statim præuentus, inchoatam relinquere. Mater eodem tẽpore, non sudore ipso, sed alio morbo grauiter affecta fuit: uerum tamen cũ primum uenisset ad aures, Sudorem occupasse Cantabrigiam, curauit utrumq; filium ilico ablegandum esse ad Pagum Kyngston quinque milliaria ab urbe distantem. Quo cum perrexissent duo fratres cum paucis alĳs, alacriter ad cœnam itur, & post corpora refecta, omnes se quieti dabant. Hora noctis intẽpestæ duodecima Carolus Stãleus cognatus Suffolciensibus

folciensibus, & summa spe adolescens sudoris uiolētia e somno excitatus, grauiter laborare cepit, et post decem horas expirauit. Henricus Dux deflet morbum cognati, quem uidet tam grauiter afflictari, & in discessu rogat me ut operam meā illi praestem (nam ego socius lecti Staleo fui) hoc postremo addens, quē ego postremū illo die uidi Ego uero pro mea parte (inquit) nō timeo mortē. Nā non moriar ante diē mihi a domino praefinitum. Verum cognati caussa laboro, & per deū te rogo, ut illi quacunque possis ratione consulas. Quod cum dixisset, mane statim discessit una cū fratre Carolo, atque eodem die perrexit uterque Bugdinū, celebre Palatiū Episcopi Lincolniensis, uerum Henricus tristior solito ob cognatum Stāleum, de quo tamen ego literis certiorem feci (nam uenire ad Ducem uetitum erat propter cōtagionem) illum recuperasse ualetudinem, & uim morbi euasisse. Memorabile est quod Dux Hēricus ualēs et incolumis hora coenae dixit optimae matronae dominae Margaretae in mensa illis assidenti, quae utrūq; materna pietate amplectebatur Vbi coenabimus (inquit) sequente nocte? Illa modeste respōdit, uel in istis aedibus (spero) mi domine, uel alibi apud aliquē amicū tuū. Nequaquam (inquit) ille. Nunquam enim post hac, una hic coenabimus. Cum matrona ualde hac uoce perterrita fuisset, ille ad tollendam aegritudinem iussit bono animo esse, & uultum, ridens exporre-

xit. Tandē mater (uel inuidia iudice) laudatissima, summo uespere Bugdinū uenit, & mox exosculata est filios, quod utrunque uiuū offendisset. Verum Dux Henricus statim post in morbum incidit, & tam grauiter cruciatus est sudoris ardore, ut dolor tantus lachrymas uel durissimo exprimeret. Mater attonita medicum consulit, quem secū habebat, & omnes uias persequitur, quibus possit mederi. Quid multis opus? Post quinq; horas elapsus ex hac uita est Princeps illustrissimus. Carolus eodem tempore grauiter exæstuans, quo frater mortuus est, & nihil de illo ex cuiusq; sermone intelligēs, separato nimirū collocatus & lōge a fratre semoto cubiculo, tacite apud se cōmentabatur. Medicus interrogat quamobrē sic cogitabundus esset. Ego uero (inquit) cogito, quam graue sit destitui charissimo amico. Quamobrē te queso (inquit)? Respondit, rogas? Frater mortuus est. Verum nō ita refert, breui subsequar. Atque ita post semihoræ spacium animam deo cōmendauit, & frater fratrem sequutus est, minor maiorem, & Dux, Ducem. O deus bone quid est in hominis uita diu? Quid nobis in hac fragili natura perpetuitatem pollicemur? O fallacem hominū spem, fragilemq; fortunam. Mors omnes aufert. Mors nulli parcit ætati. Mors nullius inspectat genus. Qui stant hodie, cras ruunt. Qui nunc spirat, statim expirat. Sic ergo uiuamus, tanquam statim morituri, sic ergo moriamur, tāquā

semper

semper uicturi. Ego uero istos duos heroas cum uitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino consilio & ortos, & extinctos esse arbitror. Quamobrem non puto lamentandum, aut deflendum esse tantorum Principum desiderium, sed nostrā potius uitam examinandam, & mores emendandos. Pia tamē mater, orbata duobus tā insigniter heroibus, & sola iam relicta, exclamat, discurrit, se exanimata abijcit, & flebiliter eiulat amissionem charissimorum: & quos optime uiuos amauit, mortuos uidere non sustinuit. Quapropter demandata cura quibusdam famulis humandi filios, & nummos erogandi in pauperum necessitatem, ipsa discessit plenissima omni ægritudine. Pueri iam mortui absque ulla cœlebritate conduntur terra, & qui germanitatis uinculo nexi, concorditer uixerunt: iam mortui eodem sepulchro pariter includūtur. Verum post unum aut alterū mensem, mater optima (dolore iam utcunque consopito) curauit Sepulchrum honorificentissime uestiendum, insignia Maiorum, postibus affigenda, & appendenda ualuis Arma militaria, ut funus tantorum principum omnibus ornamētis illustraretur. Et ut melius in memoriā uocaremus fragilem huius uitæ statum, cōcio habita est de morte, qua intelligebatur omnes ad unum finem destinatos esse, scilicet ut moriamur, & tandem aliquando (si quidem in Christo insiti fuerimus) cum deo uiuamus. Vtinam uelimus ad

tanta dei tonitrua semel exhorrescere, & agnosci cere immensitatem eius, qui tam potentibus heroibus nō pepercit. Nimis longe euagati sumus, uel est redeundum in uiam, uel est moriendum in perpetuum. Quapropter inuocemus deum una omnes, ut abundanti gratia sua stupentes animos collustret, & post tantos Principos sublatos, uelit reliquos tamen superstites esse, & præcipue Regem nostrum, Eduardum, serenissimum Angliæ Regem, pro quo preces perpetuo sunt fundendæ. Et ad fidem nostram apertius testificandam, & omnibus etiam ex vulgo innotescendam, charitatem exerceamus in omni uita, ut & æternitas nobis pariatur, & deus pater misericordiæ in terra sicut in cœlo, honorificetur, cuius sit omnis gratiarum actio nunc & semper.

SERENISSIMAE

PRINCIPI, DOMINAE FRANCISCAE, sorori Suffolciensium, & Vxori D. Marchionis illustriß. Ducis nunc Suffolciae, Thomas VVilsonus S. D.

Optima Dux salue, soror una & sola duorum:
Corpore, non animo Dux uiduata, Vale.

IN MATREM SVFFOLCIENSIVM DOMINAM CATARInam, Ducem Suffolciae, & Dominam suam olim benignißimam, eiusdem VVilsoni Distichon.

Pignora, quae peperit Mater iam lumine cassa
Mundi, sunt coelo lumina: Mater erit.



EPIGRAMMATA VARIA CVM CANTABRIGIENSIVM, TVM OXONIENSIVM GRAECE ET LAtine conscripta, in mortē duorum fratrum Henrici & Caroli Brandoni, Ducum Suffolciæ clarissimorum. Primo vero Cantabrigienses (vtpote in quorum sinu tam eximii principes educabātur): Secundo loco subsequūtur Oxoniēses tanquam fidelissimi testes beneuolentiæ suæ erga mortuos, pie conantes seruare memoriam tam prestantium puerorum.

IN MORTEM DVORVM SVFFOLCIENSIVM, HENRICI, ET Caroli Brandoni, Epitaphium Ioannis Checi.

Nobile par fratrum, generis prestantia quorum
Est eadem, similisq; ætas, ijdemq; parentes,
Spesq; eadem ingeniorum, eadem fortuna Ducatus,
Musarum sedes eadem, cultusq; locorum
Virtutis, morum, linguarum, relligionis
Ornamenta eadem, atq; idem cursus studiorum,
Idem animus, morbusq; idem, tempusq;, locusq;
Fati idem, tumulusq; idem, funusq; dolendum:
Dux Henrice, & tu Dux Carole, cætera cuncta
Queis eadem in terris, fuerant discrimine nullo
Insignes animis iuuenes quibus exornantur,
Vobis nunc eadem patet almi Ianua Olympi.

 Vo

Vos idem in coelo locus accipit, atq; eadem sors
Eiusdem hæredes regni, sanctiq; senatus.

Gualterus Haddonus.

NObile par fratrum, matris dulcißima cura
Hinc ruit Henricus, Carolus inde ruit.
Quid faciat mater, si non DEVS esset in illa?
Clamet, & abijciat se, cupiatq; mori.
Quid facit, ut nunc est? CHRISTVM patienter adorat.
Et bené cum CHRISTO, pignora iuncta putat.
Viue diu fœlix, longa dignißima uita:
Cuius inauditum gratia robur habet.
Ante iure tuis gnatis, es dicta beata.
Maius in illorum funere nomen erit.
Gloria uiuorum, præsentis gloria mundi
Et fuit, & mundi casibus apta fuit.
Sed quod in illorum ueneraris funere CHRISTVM,
Hæc tibi de coelo gloria missa uenit.
Vos etiam dulces pueri, dum mundus habebat,
Arbitrio mundus uoluerat ipse suo.
Nunc simul in gremio patris recubatis Abrami:
Qui locus æterna uos requiete beat.
Ergo uale uita fœlix, & funere fœlix,
Atq; pia, proles, matre beata, uale.

Eiusdem Gualteri Haddoni Carmen ad Anglos ut resipiscant.

ANglia, cur saccos differs, cineresq; recusas?
Anglia, terribili fulmine tacta DEI.
Forsitan expectas Ionam, iam uenit, & aures

verbe

Verberat, & sacro detonat ore minas.
Sed tibi non prosunt oracula sancta Prophetæ,
Ludis, & in luxus tempus abire sinis.
Insequitur Ionam iusto deus ipse furore,
Spargit & horribili tela cruenta manu.
Tu tamen in crapula stertis, scelerumq; sepulchro,
Et nimis infœlix euigilare nequis.
Cum populi rabies fodit tua uiscera ferro,
Principis & fregit iussa uerenda sui,
Cum tibi de toto manauit corpore sanguis,
Et proprijs fluxit uiribus ille cruor,
An tibi de cœlo non uisa est uirga uenire
Ferrea, supplicio quæ fera corda domet?
Sed tibi dura manent, & pectora plena malorum,
Oblinis & uitijs te scelerata nouis.
Inde uenit miseranda fames, & turpis egestas:
Altera contempti uirga tremenda DEI.
Negligis, & rides, totoq; ex orbe rapinas
Colligis, & partas ebria fundis opes.
Colligis, & quæris, quæ post male perdere poßis.
Luxus, auaritiæ est duxq;, comesq;, tuæ.
Quo ruis ob demens, mundi ludibria captans?
Cur fugienda petis? cur cupienda fugis?
Imminet iratus duris ceruicibus ultor:
Librat & in cladem spicula prompta tuam.
Pestifer obuolitat sudor, subitoq; peragrat
Corpora, lœtali pectora tabe terens,
Et prius obrepit, quàm præsentiscere poßis,
Et prius extinguit, quàm tua damma uides.
Sed tamen est summi clæmentia maxima patris,

Fumigat, at flammæ non sinit ire faces.
Anglia tolle caput, funestas cerne ruinas,
Ad dominum tandem respice cæca tuum.
Est pater, est dominus: pater est, si diligis illum,
Neglige, tum domini te grauis ira premet.
Ter DEVS e cœlo tonuit, ter fulmina torsit,
Ne sine supplicio te sinat esse malam.
Ter DEVS intentos posuit lenißimus arcus,
Vt monitam pœna te sinat esse bonam.
Anglia fac uigiles, hæc ultima tempora uitæ
Sunt data, uel melior, uel fore nulla potes.
Si melior fueris, decedent vndiq; nubes,
Atq; dabit lucem lux tibi vera nouam.
Sed tua peccatis si pectora stricta tenentur,
Miles eris Sathanæ, mors tibi finis erit.
Mors animæ sequitur, peccati debita merces,
Exitus vnde tibi nullus adesse potest.
O DEVS humani generis, mundiq; Monarcha,
Cuius in imperio condita regna latent,
Parce tuo regno, quod si non ipse gubernes,
Dextera deiectum nulla leuare potest.
Tu DEVS es noster, vitæ morumq; magister,
Tu pia virtutis semina solus habes.
Tu nisi custodis vrbes, nisi mœnia seruas,
Vtilitas nostri nulla laboris erit.
Anglia de sacris scripturæ fontibus hausit:
Integra sermoni vita sit apta sacro.
Abfuit hæc & abest, hæc te reuocante redibit,
Hanc nisi tu dederis, reddere nemo potest.
Sed dabis hanc nobis, & tum reuirescere nostra

Instaurata tua, corda videbis ope.
Anglia tunc Hymnos supplex & carmina fundet
Atq; tuum vero nomen honore colet:
Anglia regnorum princeps, reginaq; mundi
Tunc erit, & domino grata ministra suo.

Eiusdem Haddoni Endecasilla bon.

ET viuos colui meos alumnos,
Et nunc predico mortuos alumnos.
Vos dulces pueri, valere vester
Haddonus iubet, (vt potest iubere.)
Feci quæ potui, licere plura
Vellem, plura libenter exhiberem.
En, charis mihi charior puellis
Excellens Catarina, viue fœlix:
Et quos non poterant habere gnati,
Hos annos tribuat deus parenti:
Hoc debet pietas tibi precari,
Doctrinam decet hoc & apprecari,
Nam communis es vtriusq; mater.

In eosdem, Carolus Vvilloughbeus sanguinis cōmmutione iunctissimus.

SI to scripta duos memorant, tot carmina fratres
Laudibus accumulant, mutus an vnus ero?
Sanguine coniunctus vixi, cognatus vtriq;,
Sed nunc neuter adest: solus an vnus ero?
Viuere coniunctos volui, sed fata resistunt,
Mors inimica meis, mors inimica mihi,

Vel raperet nos tres, ſineret uel uiuere nos tres.
Quàm graue, coniunctos diſſociare, fuit?
Anglia Brandonos dederat, uerum Anglia tales
Quod dabit, haud poſſum dicere, dico dedit.
Sed ſemel abreptus, ſimul ipſe includar Olympo.
Et cælum, haud potuit quod dare terra, dabit.

Nicolaus Carrus

Τοὺς μεγαλοπρεπέας γενεῆς ἐρικυδέος υἱούς
ἐκ πατέρος τε ἑνός, μητέρος ἔκ τε μιᾶς
Πρὶν ποτὲ τῆς ἥβης ἐπὶ ἄκρον τέρμα ἱκοῖντο
ὥραις ἐμ παύραις βάσκανος εἷλε μόρος.
Οὐδέτερος θατέρῳ ἴκελος, καὶ ὁμῶς περὶ ἄμφω
Κῦδος ἔην καλῶν ὧν συνέποντο πόνων.
ἡλικίῃ, φύσις, παιδεία καὶ ἦθος ὀπωπή
Πάντ᾽ ἀνόμοια· ὁμῶς κάλλιον οὐδὲν ἔην
Κάρολος ἦν μουσῶν ἁπαλὸς γόνος ἱμεροέντων
ζηλωτὸς τἀγαθῶν, καὶ χαρίεις καὶ ἁβρός.
ἀλλά τις ἥνρικον γεγονὼς ποτὲ ἢ τῖς ἐόντων
ἢ καὶ ἐσσομένων ἄξιον οἴσει ἔπος.
ἀνέρος ἦν μείζων, καίπερ μικρόχρονος ἥβη
ἥβη παλαιᾶν τῶν ποτὲ ἡμιθέων
Οὐκ ἔτι ἀρήιον θυμαδὴς ἐξαλάπαζε
ἐχθρόν, μαρνάμενος αἵματι νοῖσι πέδοις.
Οὐ πολίων τείχη κατὰ κράτος ἔκοψε δαΐφρων.
Οὔτε νέας δηΐων ὤλεσεν ἐν νεύματι.
Προσθίᾳ οὔτε νέῳ ἐπεδέξατο τραύματα στήθει
τούς τε λόγχους ἐχθρῶν ῥηγνύμενος δόρατι.
ἄφθονος ἀλλ᾽ ὥσπερ βοτάνη σπείροντι πορίζει
ἐλπίδα καὶ σῖτον δεικνῦσιν ἐσσόμενον.

τούτους ἄπεισι λοιπὸν, μᾶλλον πρὸς ἀθλίων ἀρίστους
ἐρχόμενοι, ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς μακάριον ἔλαβε βίον.

Eduardus Aglionbæus

CVm DEVS iratus iusta excandesceret ira,
    Offensus uitijs Anglica terra tuis:
Luctifica statuit gentem compescere tabe,
    Et sudorifera cuncta domare lue.
Quæ grauis, obiectos laté graßata per agros,
    Euomit irato dira uenena DEO.
Sæuit & in cunctos, pueros, iuuenesq́ue, senesq́ue
    Corripiens una funera mille strue.
Siue per excelsas turres uolitaret, & urbes,
    Siue humilis peteret tecta minuta casæ,
Omnia uastabat, tecta, urbes, moenia, uillas,
    Nec fuit a tanto Regia tuta malo.
Quæ mala, cœlestis portendunt numinis iram,
    Et malé placati signa timenda DEI.
Sed tamen ista, domo si se tenuißet ab una,
    Poena, foret nobis poena putanda leuis.
Nam ruit in tanta proles Brandonia clade,
    Et patriæ, & generis, spésq́ue, decúsq́ue sui.
Et geminata ruit proles, Henricus ab una
    Parte, sed ex altra Carolus ecce ruit.
Ambo florentes ætate, & moribus ambo
    Florentes fratres, eximijq́ue duces.
Virtute, ingenio, naturæ dotibus, arte,
    Eloquioq́ue graui, plenus uterq́ue fuit.
Quicquid enim praui contagio corporis huius

Vel miscere mali, vel retinere solet,
Scilicet hoc rectæ præceptio sustulit artis
Vtriq;, & mores non tulit esse feros.
Dignus vterq; diu, fœlici viuere terra,
Sed tamen, ah, nimium dignus vterq; mori.
Non quia virtutis precium mors atra putanda est,
Aut quia sic iustis dat sua dona DEVS:
Sed quia per mortem reseratur ianua vitæ
Eternæ, fuerat dignus vterq; mori.
Sic fuit & moriens, & viuus vterq; beatus,
Et nunc fœlici viuit vterq; polo
Nosq; sumus miseri tantæ quicunq; ruinæ
Restamus, tantæ relliquiæq; luis.
Oremusq; DEVM vel nos traducat ad illos,
Vel nostras statuat res meliore loco.

Gulielmus Buckleus,

Fata duos vno rapuerunt tempore fratres,
Qui fuerant patriæ lumina bina suæ.
Neuter adhuc plenos, bis octo vixerat annos,
Cum mors supremum clauderet atra diem.
Alter Dux, Dominus fuit alter, doctus vterq;:
Magnaq; de ingenio spes vtriusq; fuit.
Omnes naturæ dotes cumulantur in illis
Nec fortuna potest vberiora dare.
Non genus, aut ætas, non summi culmen honoris,
Ferrea parcarum pellere tela solent.
Dicito qui transis, fratres uestra ossa quiescant
Molliter, in longos non peritura dies.

Thomas

Hatcherus doctor in arte medendi.

LVcidus horribilem ingrederis cum Phœbe Leonem,
Torridus è cœlo, dum æstuat ille canis:
Ecce cadunt gemini fratres, sudore Britanno
Carolus, Henricus, spes patriæ, atq; decus.
Nobilis ex clara soboles fuit hæc Catarina
Patris Suffolchi, pignora chara Ducis.
Voluere naturæ miracla abscondita docti,
Quid non præstabant? gratia tanta fuit.
Ergo hos virtutum culmen, conscendere cernens
Iuppiter, æternum uiuere utrisq; dedit.

Robertus Vvisdomus.

INclite dux Henrice iaces, Brandonia proles,
Tuq; quoq; deflendus, Carole clare iaces.
Patria defunctos Lincolnia mœsta querelis
Prosequitur, flœtu sydera cœlsa ferit.
Cambria docta, suos doctos defleuit alumnos,
Turbaq; doctorum consociata gemit.
Anglia tota duces, dominos, patresq; benignos
Sperabat, iuuenes occubuisse dolet.
Heu clades nimium lugenda, & flenda Britannis.
Qua cecidere duces, heu lachrimanda dies.
Horrifer ut Boreas, rutilos discerpere flores
Assolet, & fructus uis uiolenta quatit:
Sic nostræ ætatis rapuit mors pallida flores,
Excußit fructus, proh dolor ante diem.
Quos fratres natura, fides, pietatis amorq;
Iunxerunt, tumulus iungit, & alma fides.
Abstulit vna dies geminos, quos dixerit apte
Gem

Gemmas, heu tales interijsse simul.

Quid dixi interijsse simul, cum uiuat uterq;.
Cœlicolis iuncti, lucida regna tenent.
Viuunt qui uixere DEO, nec morte peremptos
Credite, queis CHRISTVS, gloria, uita, salus.

Eiusdem

SPlendida Brandonum cecidit stirps, & domus alta
Corruit, Henrici dum pia membra cadunt.
Carole, morte tua spes ultima mœsta refugit,
Et fugiens, tales edidit ore sonos.
Quam mundus nihili est, fallax, quam uanida rerum
Copia? quam mundi gloria, falsa, fugax?
Quales, uix toto sol uiderat aureus orbe,
Tales, urna breuis pignora sancta tenet.

Thomas Vuilsonus D. Caroli institutor.

FAta gemant alij, lachrimentur funera regum:
Nos, ducis Henrici fata dolere uetant.
Sustulit hunc dominus superorum sede locandum:
Detur ut Henrico dignus honore locus.
Terra angusta fuit, patet illi magnus Olympus.
Qualis erat quæris? uix puto talis erit.
Quàm fuit eximius Princeps? quàm nobilis heros?
Quam poterat dici, tam fuit eximius.
Et puto ne fieret iuniori iniuria fratri,
Sustulit en uno CHRISTVS utrumq; die,
Vna duos mater peperit, genuit pater unus.
Vrna tenet fratres (ô DEVS) una duos.
Et fuit excellens, & erat Dux clarus uterq;.
Clarior aut melior Dux uter? ambo pares.

Quod

Quod datur Henrico, uel idem, uel tale teneba[t]
Carolus, ut par sit fratris & unus honor.
Dum loquor, obstupeo, dum laudo, admiror utrunq;
Neuter enim melior, laude sed ambo pares.
Par genus antiquum, par uita, & mentis acumen,
Par decus in terra, par pietatis amor.
Par in utroq; fuit uirtus, in utroq; uoluntas.
Gloria cœlestis par in utroq; fuit.
Et ueram effigiem, mores, & munera patris
Inclytus Henricus conspicienda dedit.
Carolus effigiem, mores, & munera matris
Optima (uirtutis pignora uera) dedit.
Sanguine iunguntur fratres, iunguntur amore.
Charus ut ignores, hic sit an ille magis.
Carolus, in musis latuit, fuit alter in aula.
Pôst, Cantabrigiæ uixit uterq; Schola.
Aula Ducem Henricum, doctum Schola nouit eundem,
Et Schola iam, plenimi nomen honore, dedit.
Carolus inferior cum ætate, & pondere carnis,
Artibus, ingenio, non fuit inferior.
Carolus ille meus iuuenum pulcherrimus unus:
Et puer ingenio uel Ioue dignus erat.
Talis uterq; fuit, qualis Ioue dignus habetur.
Hos amat, ergo uocat, talis uterq; fuit,
Excipit hos gremio, quos ambos Pignora nouit.
Maior abit primo, pôst minor, astra petit.
Occidit Henricus Dux unus, Carolus alter.
In tumulo, in cœlo, frater uterq; manet.
Frater uterq;, DEO uitam traduxerat omnem.
Occidit, hinc abiens, frater uterq;, DEO.
Da DEVS hoc unum, da uitam, funera cunctis

 tis

Sic simul ut uiuant, sic simul hinc abeant.

Eiusdem

Sunt duo, sunt fratres, patriæ sunt inclita pubes
Quos simul in tumulo, terra profunda tegit.
Nobile Brandoni nomen sortitus uterq;
Excellens patriæ lumen uterq; suæ.
Anglia Brandonos aluit, dare tempora longa
Non ualet, at uoluit perpetuare dies.
Mater utrumq; uelit, sed cum non posit utrumq;
Quem uelit, & dubitans quærit: uterq; ruit.
Dux ruit Henricus, matri charissimus heros.
Vnica spes sequitur Carolus, atq; ruit.
Illachrimãt omnes fatum, tristissima mater
Eiulat, & tenebras sola relicta petit.
Sed quid opus gemitu: sequimur, iungemur utrisq;
Mors uenit, & cœlum, (dum rapit illa) patet.

Eiusdem tetrastichon

Numina Brandonos cupiunt. uenit unus: & alter
Dum nimium properat frater, uterq; uenit.
Sic in amore pares, certant discedere fratres.
Horaq; (dum certant) surripit una duos.

Christophorus Carleil

Inuisa cunctis noxia,
Sudor pœdore fœtidus,
Lues peremptrix abstulit
Cum fratre sũmum Principem.
Grœce, Latine, Gallice,
Vterq; fari nouerat.
Tum disputabat lugiter,
Tum disserebat splendide.
Si dicerem me concuti
Nullo dolore, maxime
Mentirer, ergo desleo
Mœstam ruinam patriæ.

Ante

Eiusdem, Sapphicum in eosdem

ANte maturam rapuit iuuentam
Saeua mors clarum comitem, ducemq;
Maximum, summos proceres, duum par
Nobile fratrum.
Principes tantos lachriment Britanni.
Crinibus passis querulae camoenae.
Tota doctorum celebris corona.
Mobile uulgus.
Vota nil prosunt, lachrimas sepulti,
Audiunt nullas, neq; fas dolere
Mortuos, mors est requies laborum,
Duxq; salutis.
Abstulit magnum cita mors Achillem
Hectorem fortem, solidum Lycurgum,
Paridem pulchrum, uigilem Solonem,
Nestora cautum.
Abstulit primum fera nex Adamum,
Abraham fidum, celebrem Iosiam,
Diuitem Lotum, miserumq; Iobum,
Sampsona fortem.
Fata sic ducunt, sua fila nullum
Transeunt, crassos, tenuesq; uisunt.
Nec solent summis ducibus cruentae
Parcere parcae.
Ergo nunc laeti in coelebri corona
Coelitum uiuunt, hilares triumphant,
Incolunt sedes superum, beata
Gaudia carpunt.

MAgnanimi heroes nati, peioribus annis;
Intereunt, ambos abstulit una dies.
Romani ciues duo (propuguacula belli)
Scipiadas flebant, triste ministerium.
Anglia mœsta, duos fratres clarißima pacis;
Lumina flet, magna nobilitate duces.

Eiusdem

GLoriæ ueræ fideiq; cultor.
Corruit magnus probitatis Index,
Numinis summi uenerator, alta
Stirpis imago.
Angliæ terræ columen, decusq;
Maximum, regni seges, & origo,
Gens DEI, tutor populi, piæ spes
Nobilitatis.
Dux fuit paulô senior, colebat
Literas sacras, simul & prophanas.
Et domi clarus, foris atq; clarus
Clarus in armis.
Carolus frater comes in perenni
Disciplinarum studio, ditatus
Suauibus musis, didicit parare
Arma scholarum.
Neuter explerat, nece perdomante,
Solis anfractus celeres per orbes,
Bis nouem: grandes, studijs honestis
Vicit uterq;.

Henricus Vvright

MVltæ quas multis annis tulit Anglia clades,
Concedunt uni quam tulit una dies.
Henricum, fratremq́; duos & sanguine claros,
Doctrinaq́; pares, & pietate pares,
Brandonos ambos, heu me crudelia fata
Abripiunt, ambos abstulit una dies.
Quæ uirtute fuit gens nobilitata parentis,
Hæredum tristi morte perempta iacet.
Funditus exempta est lugenda morte nepotum,
O mors humanis o inimica bonis.
Hæc, inquam, est clades, qua non ullam grauiorem
Hos multos annos Anglia passa fuit.
Quos non grassanti latè strata funera peste,
Non mors, non Martis prelia sæua mouent,
Innumeros frangunt fratrum communia fata,
Tam subitus tantæ familiæq́; cinis.
Hoc desiderium Maiestas regia flendo
Testatur, lachrimis Regia cuncta sonat.
Orba gemit, quæ mater erat modo læta duorum,
In lachrimas undi soluitur illa domus.
Amborum uitæ, & doctrinæ Academia testis
Ingemit, & damnum deflet ubiq́; suum.
Laudibus immensis studij, pietatis, honesti,
Doctrinæ, generis, plenus uterq́; fuit.
Perdidit in summa fratres parua insula binos
Quales uix orbem nunc puto habere duos.
In terris quos una fides, mens una, parentes
Idem, relligio iunxerat una duos,
In cœlis una pariter requiete fruantur.
Vniti Christo, quem coluere suo.

Edoardus Coperus

ECquid in humanis nihil est durabile rebus?
Viuimus an omnes conditione pari?
Dura quidem fati lex est: immota uoluntas
Parcarum: uitæ, mors cita finis adest.
Mortis at imperio subiecta ne cuncta manebunt?
Nil erit æternum? cuncta suborta cadent?
Nil honor, aut pietas, generosaue stemmata prosunt?
Omnes hæc, una conditione premet?
Vos ego uos Parcas, uoco uos crudelia fata
Sistite, quid facitis? nemo superstes erit?
Iulius ah quanto, perfudit corda dolore?
Quàm dedit & lunæ nuncia mœsta dies?
O nimium lugende dies, par nobile fratrum
Quo ferit immiti mors truculenta manu.
Morbus vtrosq; ferit, tulit idem morbus vtrosq;,
Transitus a uiuis unus utriq; fuit.
Heu, heu, seueræ nimia inclœmentia mortis,
Qua perit eximiæ nobile stemma domus.
Concidit & patriæ decus, & spes magna parentis,
Intulit his auidas cum fera parca manus.
Quid lachrime poßint? aut quid marcessere luctu
Prosit? mors, curua singula falce metit.
Corpora sed pereunt tantum, Mens celsa subiuit
Cœlos: non animas, corpora terra tegit.
Ergo uale dux summe, uale decus omne tuorum.
Eximiæq; spei Carole chare puer.

Gulielmus

Gulielmus Dayus

IMmites Parcæ, uos o crudelia fata
Tam premere egregium sustinuistis opus?
Nobile par fratum, patriæ decus, inclita magnæ
Ornamenta domus, sustulit una dies.
Quàm cito prætereunt quæ firma putauimus esse?
Quamq; nihil certi, rebus inesse patet?

Duces matrem alloquuntur Gulielmo Harrisono authore.

CVr fles, cur ploras? mater dulcissima, cur fles?
Adsumus ecce tibi gnatus uterq; tuus.
Credin' presentem Christum, quodq; omnia cernat?
At nos cum Christo membra sumus capite.
Ergo uale, & Christum fac alta mente recondas.
Sic tua nos semper pignora, mater habes.

Gulielmus Scottus

DUdum regnabat, fratrum, Stirps clara, duorum.
Clarus doctrinæ munere uterq; fuit.
Dirus utriq; dedit sudor sua uulnera fratrum,
Nam iacet Henricus, Carolus atq; iacet.
Henricus Martem coluit, minor arma Mineruæ.
Ictus at heu iaculo mortis, uterq; iacet.
O quàm sit tristis lugendi causa Brytannis,
Quam dedit extremi temporis iste dies.

Thomas Brounus

Ergonè Palladij perierunt ambo tyrones?
Et gemini frates intreriere simul?

Crudeles Parcæ, quæ uos modo compulit ira
    Sitis ut hos ausæ morte ferire fratres?
Musarum assidui cultores ambo fuerunt:
    Ambo probi, musis charus uterq; fuit.

Edouardus Earthleius

Henricus ille Dux pius
    Flendus suæ Suffolchiæ,
Flendus iacet Cantabriæ
    Morte peremptus.
Hunc Carolus sequutus est.
Iaces tuæ Britanniæ
Heu flende multum Carole.
    Flendus uterq; est.
Crimen tuum, Scelus tuum
Heu defleas Britannia.
Nephas tuum Britannia.
    Sustulit ambos.

Ioannes Guinnus

Dulce nihil posthac, lachrimis sum plenus, & angor
    Sollicitus curis, spes, & fortuna, ualete.
Plectimur ecce manu diuina, tollitur ecce,
Unica nostra salus fato, Suffolchius heros.
Anglia tota gemat, cecidit Brandonia proles,
Brandoniq; domus ruit alto à culmine tota.
Venit summa dies, casusq; miserrimus Anglis.
Solis namq; sui priuantur lumine, lumen
Quale iterum nunquàm fulsurum credo Britannis
Lucifer exoriens cadit, & non amplius extat.
Mortuus ô utinam terras has linquere possem:
Cumq; meo Domino celestes uisere sedes.
O mors seua nimis, Brandoni nobile germen.
Occidit Henricus, regi charissimus unus,
Magnatûm decus is, iuuenum flos, gloria matris.
Hic aulæ lumen, quo non conspectior alter,

His

Hic Cantabrigiæ Deus, & clarißima gemma.
Talem non uidit Sol, non occasus & ortus,
Talis erat, qualem nunquàm conspeximus ullum.
Nulla ferent talem, uel millia secula, nulla
Etas mœrebit tali priuata nitore.
Exemplar morum, ueræ uirtutis imago
Ingenio ingenuus, doctrina doctus & omni,
Armis armatus belli, uel pacis, abunde.
Atq; domi prudens, foris & fortißimus iste.
Curia quàm uacua est, quoniam uacat ipsa sereno
Principe, quàmq; suum luget Suffolchia honorem?
Diris heu lachrimis Lincolnia mergitur omnis.
Anglia cuncta luit pœnas, Germania ploret.
Quisquis & amplexus, CHRISTVM, uereq; fidelis.
Hunc Cantabrigiæ Schola iam desiderat, istum
Luget Ioannis domus, & loca propria Musis
Sed Deus hunc nobis concesßit, sustulit idem.
Qui uita clarus, nunc idem morte beatus.
Nosq; tibi summas agimus Deus optime grates,
Optimus Is fuit, ergo tuus fuit, ergo tulisti
Ergo poli ciuis, uita fruiturq; beata,
Corporis exutus uinclis, & carcere liber
O Henrice uale, Dux præstantißime longum.
Atq; Britannorum spes ô pulcherrima quondam.

Gulielmus Temple

CArolus Henrico, frater cum fratre, sub ista
Regulus eximio cum duce dormit humo.
Cum quibus (ab pueris) pariter sudore peremptis,
Brandonium uirtus, gloria, fama ruit.

Quinquaginta unum (si tempus queritur) annum
Mille & quingentis adijce, tempus habes.

Aliud Epitaphium.

Hoc simul Henricus recubat cum fratre sepulchro,
Quos simul exitio pestis acerba dedit.
Sic Dux ægregius, sic clarus regulus, illa
Sic stirps, sic nomen funditus omne ruit.
Mille & sexcentis si quis subtraxerit annos
Quadraginta nouem, funeris annus adest.

Aliud
Fratres ad Lectorem

Quis sit in hoc positus tumulo, si forte requiris,
Siste gradum, & breuiter, si potes, ista lege.
Par sumus hic fratrum: maior (si nomina nescis)
Dux fuit Henricus, Carolus alter erat.
Floruimus pariter, sed flos fuit ille caducus.
Nempe ex hac uita cessit uterq; puer.
Attribuit nobis celebris Suffolcia nomen.
Quod tamen à nostro sumpsimus antè patre.
Sudor erat nulla saciatus cæde, suiq;
(Spem stirpis) læthò nos quoq; tabe dedit.
Quindecies centum si consociaueris annos
Quinquaginta uni, cognitus annus erit.

Aliud.

Abstulit Henricum sudor læthalis, & illa
Carole surripuit te quoq; dira lues.
Ergo hinc abripuit fera mors par nobile fratrum,
Sic genus, & dudum nobile nomen, abit.

Ah capit hoc paruum duo corpora clara, sepulchrum,
Quorum tam laté gloria nota fuit.
Tam multis natura bonis formarat utrunq;,
O bene dixisses terra Britanna tibi est.
Clarus uterq; omni doctrinæ munere, at alter
Cultor erat pacis, Martis & alter erat.
Carolus ad studium natus, sed frater ad arma,
Mars gemat ipse suum, mœsta Minerua suum.
Quid teneros annos, quid clarum nomen honoris?
Quid memorem magni stemmata clara patris?
Anglia seu pax sit, seu sint tibi bella gerenda,
Vndiq; iusta tui causa doloris erit.
Sed bené cesserunt, quos tantum Christus amabat.
Nempe hos in nostris noluit esse malis.
Te, quicunq; uides horum monumenta duorum,
Dicere ne pigeat, stirps generosa uale.
Annum sudoris, si quinquagesimus unus
Quindecies centum consocietur, habes.

Willielmi Watremanni, de obitu Suffolciensium fratrum sylua.

CVm nihil in terris magnorum numine dignum
Conspexit magni præscia cura DEI,
Et superos oculis commensus, & infera regna,
In cœlo uacui plus uidet esse loci:
Indignans animo dubium, potiusne misertus
Constitit, & cœli sydera celsa mouet.
Ac secum tacitus fatorum arcana reuoluens,
Protinus accitis imperat ista Diis.

Rasq;

Iusq;, nefasq;, mei solum sunt nomina iuris.
Vtrumq; arbitrij quis neget esse mei?
Quod mihi decretum est, nolite inquirere fas sit,
Velle meum, fas est, & noluisse, nefas.
Fusi (qui uestro de pollice fusa cohercent
Stamina Brandonidum) sat uoluêre diu,
(Adiecit tandem, longo post tempore, clemens)
Rumpite, mox illis ab cecidêre manus.
Et pietate tremunt, dubiusq; incesserat error
Filumne, an fusum, rumpere summe iubes.
Et errore iuuat spatium concedere uitæ,
Nec tamen hæc uisa est causa probata satis.
Senserat omnipotens, & delectatus eodem,
Insolita laudat sic pietate pias.
Mercuriumq; uocat, quæ sint mãdata rogantem,
Instruit, & mortis quod uelit esse genus.
Est procul occiduis Arcton, solemq; cadentem
Aspectans undis insula, diues opum:
Anglia nomen habet, quondam celeberrima tellus,
Dum rexit duros fas, pietasq;, uiros.
Hanc simul ac sub te cernis, tum littore læuo
Venantoduni rura sinistra pete.
Hic tibi se attollent turrita palatia, sacri
Pastoris sedes, Bugdeniana domus.
Huc mater charos medio de funere raptos
Accelerat, fugiens quæ secutura timet.
Quodq; timet (fato cassa pietate reluctans)
Decepta inueniet, sedibus illa nouis.
Dixerat, ille leui magnum per inane uolatũ
Labitur, & præceps limina iussa petit.

Nos

Nox erat, & famuli meditantur lumine somnum,
Præsidio tenebris utitur ille suo.
Non thorus unus habet ambos, unumue cubile:
Diuersi iunctis sed cubuêre locis.
Maxime Dux Henrice, animi prestantis, & alti,
Te primum, certo te petit ille gradu:
Vt qui Dux fueras ætatis nomine, Dux sis
Re, linquens fratri debita iura Ducis.
Non te somnus habet, uoluentem pectore docto
Plurima, cum tristem sentis adesse Deum.
Et famulis signum submißa uoce daturus,
Formatæ uocis præripit ille sonos.
Et celer aggreditur magico medicamine fibras,
Perfundens liquida uiscera tota lue.
Sed dolor omnis abest, penetrat medicina medullas.
Mollescunt sensim pectora, corda, iecur.
Ipse heros (quamuis nulla est uiolentia morbi)
Venarum motus sentit adeße nouos.
Pergit Atlantiades eadem miscêre minori:
vt uidit uires uirus habêre suas.
Dulce decus patriæ, similis lactantibus hœdis
Carole luxurias, ô Ioue digne puer:
Nec te somnus habet, nec lecti mollia fulcra,
Peruigil est animus, corpore peruigili.
Gaudia lætus amas, sunt apti lusibus anni,
Gaudia mœsta tuis, gaudia mœsta tibi.
Nondum, blande puer, tibi cognita uulnera fratris,
Et tua sunt fratri cognita fata minus.
Ah puer est, Hermes, genitrix mœrore sequetur,
Forsan & inuenies pœnituiße Iouem.
Longa uia est puero, cœlum scandiße supremum:
Deq; uia laßus iam uenit ille recens.

Tum ſine matre ſua nec cœlo uiuere uellet,
Nec ſine filiolo uiuere mater humi.
Aut pariter tollas, tres uno in uulnere cæſos
Aut pariter uiuant uno in amore ſinas.
Abnuis? & matrem poſt funera dupla ſuorum,
Pertæſam uitæ uiuere dure iubes?
Nam ſic fata uolunt, ſummi ſtat fixa uoluntas:
Serius aut citius, quos uolet, ille metet.
Iamq; cadunt luſus, pueri præcordia languent,
Et requiem lecti iam petit ipſe ſui
Sedulus huic aſtat, mortalia lumina fallens
Cuncta deus peragens quæ tulit iſte prior.
Interea famulûm longa comitante caterua
Mater adeſt, natis conſpicienda ſuis.
(Nam ſudoriferum fugiens cum prole uenenum
Vt cœlo poßit mox meliore frui:
Vrbem cui Grantæ nomen fluuius dedit, & pons,
Deſeruit, charis conſuluiſſe rata.
Pignora præmittit, ſpacio maiore ſecuta:
Acceßit ſædes tardior ipſa nouas.
Et iam tecta ſubit primum, cum limine primo
Vt meus Henricus? Carolus utq; ualet?
Hæc ait, adq; Ducem rectà, de more ſalutans
Ingreditur, lecto plus calet ille ſatis
Viſcera liquuntur, fugiunt é corpore uires.
Debita nec cordi frigora pulmo refert.
Spiritus intus alit rabiem, cordisq; receßus
Iam ſe commiſcent ſanguis, adeps, animæ.
Quæ ſimul ut uidit, metuit triſtißima mater,
Et quo plus metuit, plus premit illa metum.

Talia non sperat fugiens, nil tale timebat
Aduenienes, saluam se putat, atq; suos.
Quid faciat? mœstos lachrimis augere dolores
Quod solum potuit, non potuisse cupit.
Spem uultu simulat, premit alto corde dolorem,
Quosq; mori metuit, uiuere posse putat.
Spe dubia, certoq; metu, mens fluxa tenetur,
Vicisset dubiam spemq;, animumq;, metus,
Senserat hoc medicus, quo non caruisse uolebat,
Et dubiam fulcit spe meliore fidem.
Risit Atlantiades, medico testis deus, ut qui
Dispositis uicibus itq;, reditq;, frequens,
Quoq; magis medicum ludat, matremq; leuaret:
Admota tetigit pectora læsa manu.
Sensit opem tactus, multum feruore remisso
Speq; noui uultus, spes iubet esse ratas.
Exhilarata parens, ne pôst mage tristia cernat
Sancta simul fundens plurima uota DEO:
Discessit sperans, dixitq; nouissima uerba,
Fœlici CHRISTVS uos requiete beet.
Vox audita DEO, sed non sententia uocis:
Vult genitrix uitam, dat DEVS ast aliam.
Charolus in simili graditur discrimine fati,
Sed lento sequitur tardius ille gradu.
Firmior ex isto uisa est spes fallere matrem,
Mitius in puero quod furit ille furor.
Ast elapsa uidens Hermes tria tempora noctis,
Et superesse modo quæ uehat una diem:

Accelerat uenerānda ſui mandata parentis,
Accendens flamma liberiore duos.
Et nunc uiſceribus quæ ſunt liquefacta ſub imis
Euomuit fati uis uiolenta foras.
Quid faciat, natura ſagax ſtupefacta requirit.
Namq; ſua dominum repperit illa domo.
Excutitur clauo, retinacula cuncta relaxat
Quæ regnat quaſſo corpore dira lues.
Corpore, non anima eſt nunc merſa, at corpus in illa,
Et iam ſudor erat, qui modo uita fuit.
Quod ubi percepit, gaudens Atlantide natus,
Admota clauſit lumina bina rude.
Aſt liquidas animas mittunt ad ſydera fratres,
Diſsimili ſpatio, perſimiliq; modo
Hos fleuit Græcæ teretis facundia linguæ:
Sublatos ſophiæ quod ſciat eſſe φιλους.
Roma ſuos etiam non dedignata colonos
Fleuit, & in ~~pullis ueſte lugubris erat~~. mæstos gemitur atra modos
Et gens ſancta DEI, literis, linguaq;, priores:
Funeris ad luctum triſtia dicta dabāt
Anglia nulla dedit, ſeu uicta prioribus iſtis,
Seu quod defunctos non uoluiſſe putet.

Ioannes Tyrellus, adoleſcens, incliti DVCIS famulus.

OMnibus accepta eſt meſti iactura doloris
Cauſa, rei uario pro ratione modo.
Plus mœret, quem plus fortunæ læſerat ictus
Quem premit illa minus, hunc premit ille minus

Ast ego, si quanta est doleam pro pondere causæ,
Cum luctû uitam clauderet una dies.
Spem, dominumq; Ducem, mœcenatemq; benignum,
Ornamenta, decus, cunctaq; grata simul:
Hoc uno amisi geminorum funere fratrum,
Quos ego pro diuis nunc reor esse Ioui.
Hos alij celebrent uerbis, ego pectore condam.
Quos alij calamis, hos ego mente feram.

Thomas Vvilsonus de luctu Cantabrigiensium compescendo

IAm satis est, (clamant superi) modus esto dolori.
Dum breuis est, satis est, displicet immodicus.
Conticuere omnes, gemitus tamen occupat omnes.
Singultusq; fouent pectore, uoce tacent.
Sed DEVS affectus cohibens, iubet esse quietos.
Iussa tenent omnes, pectore nemo dolet.

SEQVVNTVR OXONIENSES DOCTISSIMI, QVI PARTIM FAMA COMMOTI, ET EXISTIMATIONE TANTORVM Principum, partim sollicitati hortatione optimi uiri, Francisci Gautri, Hispani, & cognati Suffolciensibus: ualde studiose in hanc partem elaborauerunt, ut nomen Brandonorum tam memorabile in immensum propagaretur.

IN MORTEM SVFFOLCIENSIVM, Nicolaus Vdallus.

Nobile par fratrum, gentis duo lumina nostræ
En iacet Henricus, Carolus ecce iacet.
Sanguine patritio, Ducibusq; parentibus orti:
Dumq; Atropos stamen rumperet, ambo Duces.
Deliciæ superum, mundi miracula uterq;:
Gloria, spes, patriæ splendor uterq; suæ.
Ingenij uires, linguæ facundia, robur
Pectoris, ambobus par decus oris erat.
Anglia (non tantum raptos Suffolcia) luget:
Tamq; probos uellet non potuiße mori.
Sustulit at teneros eadem simul hora puellos,
Quales protulerint sæcula rara uiros.
Quàm uerò fuerint grati, cœlòq; petiti,
Hoc poteris lector colligere indicio.
Nolebant pueris caruiße diutius astra:
Delicias properé sed rapuere suas.

Henricus

Henricus Knolßus.

VNa hæc urna tegit, quos aluus clauserat una.
Et quos ista dedit, protinus illa rapit.
Ornauit terram prior hæc, duo lumina prebens,
Ista sed orbauit, pignora chara uorans.
Altera parturiens peperit noua gaudia terris,
Altera sed perimens cuncta dolore replet.
Heu Brandonorum domus illustrißima, prorsus
Concidit, & proprio gens fremit orba duce.
Stemmata quantumuis censentur sanguine longo
Tandem (momento temporis) ecce cadunt.
Sic nihil hic fixum est, quod non uertatur in umbras,
Horrida cum pulsat mortis imago fores.
Aut si hic in terris tutum quid mortis ab ictu
Perstaret, nonne hic tutus uterq; foret?
Natura hos fecit ualidos, industria doctos,
Matris cura probos, patria iura duces.
Cuncta sed hæc uacuas uolitant en uana per auras:
Sola in morte ualet non peritura fides.

Richardus Bartæus.

QVi modò Buceri desterunt carmine funus,
Vi pueri, canum: canis hos nunc, puerisq;,
(Proh dolor) en prima flendos falcauit in herba,
Parca nouerca bonis, & longo stamine dignis.
Sed si non nobis, sibi sat uixere, diuq;:
Nam bene uixerunt, & succubuere beati.
Libantes musis, libantes hostia facti.
Ob sacri agnelli, cœli recubate coloni.

Ioanes

Ioannes Prakhurstus

DVobus fratribus, Polluci, & Castori,
Ita licuit cum morte depaciscier:
Eorum ut cum alter esset mortuus, tamen
Alter superesset, & mutatis sortibus
Vicißim, uterq;, utriusq; morte, uiueret.
Cur Parca nunc crudelior est, quam olim fuit?
Duos ea nuper fratres, quales hactenus
Nec uidit unquam, nec uidebit Anglia:
Lumina duo, duoq; propugnacula
Pietatis, uirtutis, Reiq; publicæ,
Crudelis, ah una peremit funere.
Non illam uirtus, non insignis indoles
Mouit, nec Eduardi regis, nec optimæ
Matris, nec totius gemitus Britanniæ.
O dura dura Mors, ô sæua numina.

Aliud

QVi modò diuini deflebant fata Buceri
Pererudito carmine:
Horrida senserunt quid poßint fata, perempti
Immiti uterq; funere.
Quis rebus credat fluxis, Mors liuida fratres
Simul cum tales auferat?

Aliud eorundem Epitaphium

VNa fides uiuos coniunxit, relligio una,
Ardor & studijs unus, & unus amor.
Abstulit hos simul una dies, duo corpora iungit
Vna urna, at mentes unus Olimpus habet.

Guli-

Qui modo defleras flendum tibi iure Bucerum,
Nunc Brandone iaces, flendus & ipse tuis.
Illius abrepti lugebas carmine fata
Nunc retines illum, raptus es ipse tuis.
Ah potuit nobis te compensare Bucerus,
Esset in exceßu gratior ille tuis.
Sed neq; Bucerum, neq; te dea Parca reliquit,
Hei plus quam par est parca reperta tuis.
Occidit & frater, uestræ spes ultima stirpis,
Et spes solati sola relicta tuis.
Quod scelus est grauius? quæ pestis tetrior unquam?
Quæ clades tanta est, tamq; cruenta tuis?
AEquius id fuerat iam nos spoliaße Bucero,
Te modo seruassent impia fata tuis.
At simul una omnes quia nunc perijstis ab hoste
Maximus ô dolor est, maxima plaga tuis.
Te male torquebant amißi damna Buceri,
Quanta dedit queso mors tua damna tuis?
Ille tibi perijt, perijsti tu quoq; nobis,
Ille tibi charus, charior ipse tuis.
Ille tibi cecidit, sic nobis, & tibi solus.
Sed cadit ille tuis, & cadis ipse tuis.
Nos ergo premimur grauioris pondere damni
Pœnaq; magna tua est conduplicata tuis
O utinam solum uel te licuisset adesse,
Pristina non essent nunc renouanda tuis.
Pene elapsus erat, iam te remanente, Bucerus,
Viuere tum uisus, cum fruerere tuis.

Nunc

Nunc lachrymas, luctusq; graues, mortemq; Buceri,
Morte tua reuocas, mortuus ipse tuis.
O casus fragiles, ô lamentabilis ætas,
O Henrice diu commiserande tuis
O placidis frustrá decus expectate camœnis,
Et frustra fortis credite dextra tuis.
Quàm facile miseros ludebat opinio fallax,
Vt modo Dux esses, & modo bulla tuis?
Sed tibi nunc loquimur, quasi te deflere uelimus,
Aut quasi sint abs te hæc damna profecta tuis?
Nos sumus ô flendi, nos nostri causa doloris.
Tu mala non infers, sed DEVS ista tuis.
Et DEVS hæc merito, quem cum resonemus ubiq;,
Est tamen ex animo lapsus ubiq; tuis.
Tu fœlix igitur iam dulci pace frueris.
Si miser est quisquam, contigit esse tuis.
O Henrice uale, uirtutis maxime splendor,
Temporis ô nostræ gemma, ualeto tuis
Tuq; benigne parens, quem sic commouimus ira,
Nunc depone animos, & pius esto tuis.
Redde tuum regnum, perituris redde salutem,
Et tua filiolis gaudia redde tuis.

Eiusdem in Carolum Fratrem

CArole, cur animo concretas diuidis auras?
Cvr tibi tam cito iam crassus perrumpitur aer
In sublime cupis uehementer Carole ferri.
Cur cupis est aliquid, sumus aut nos hercle misselli
Qui colimus terras, aut tu qui summa capessis:
Scilicet es fœlix, & nos miseri sumus omnes.

Es

Es fœlix, qui nunc terreni mole relicta
Corporis, es liber, propriam qui mentis adeptus
Es sedem, qui deniq; gaudia uera parasti.
Nos porro miseri, quos hæc custodia carnis
Seruat, & obscuro uinctos in carcere claudit:
Quos & perturbata domus, peregrinaq; sedes
Examinat stupidos, mentisq; retardat acumen.
Nos miseri, quibus & breuis est, & parua uoluptas,
Ac eadem magno miscetur sæpe dolore.
Carolus ergo uiget, qui rupit uincula carnis,
Nos morimur potius, quibus est in carne manendum.
Ergo uale tandem, nunc cœli Carole ciuis.
Qui quondam fueras hoc nostro ciuis in orbe.
Atq; uale longum, ueraq; in sæde quiesce.
Quò simul & nostri (si iudex euocet illos)
Peruenient animi, cum nostro ex corpore migrant.

Eiusdem in eosdem

A nglia quid gestis? aut cur tibi sola triumphas?
Cur placeas alijs, est, mihi crede, nihi L.
N onne suas lachrimis exponunt cætera plagas?
Es tamen in plagis læta, uacasq; met V.
G ens prope nulla fuit, quæ non percussa timeret,
Quod declarat atrox, cũ caperetur Aga G.
L achrimulam tu cæsa tamen uix exprimis unam,
Inq; graui nescis læsa, dolere Cruc E.
I lle DEVS, primum qui leui corrigit ictu,
Vulnere, ni caueas, te grauiore preme T.
A nglia cur cessas? lachrymis quin frange furorem,
Ne sis irato, præda futura DE O.

Prosopopœia Suffolciæ Ducem Suffolciensem & Carolum fratrem amissos lamentantis.

Laurentius Humphridus.

QVæ suppressa fuit, quæ longo tempore clausa,
Nunc foris exhalat mœsta querela mihi.
Nunc dolor eructat, fractis erumpit habenis,
Nec frenis ullis iam retinere queo.
Cede igitur iustis lachrymis (iustißime lector)
Quæstibus atq; meis (ô pie) cede pijs.
Sum mater, nunquid non mortua pignora flebo?
Non flebo genitrix germinis exequias?
Namq; minax uenit cœlesti Eclypsis ab arce,
Eyá planeta ruit, tristeq; deliquium.
Prô dolor, in nostros mors grassabunda penates,
Sæuijt in ualuas, nobiliumq; fores.
Dux abit, ah dignus productam ducere uitam,
Dux subductus abit, non erit ille redux.
Me meus ah solam Dux re, Dux nomine liquit,
Meq; Ducis frater Carolus ille meus.
Vna dies binos nostris auulsit ab ulnis,
Et binos fratres sustulit una dies.
Non mors illa duplex, sed quadruplicata uidetur,
Bis duo, non duo sunt qui periere mihi.
Nec tantum querulor preclarum stemma restinctum,
(Quamuis causa mei uulneris esse potest)
Nec quia uernali marcebat tempore pubes,
(Quamq̃ iusta illinc hulceris ansa foret)
Sed quia nobilitas insignibus aucta Camœnis
Tinctaq; musarum rore, sepulta iacet.

Ambo

Ambo etenim fratres sacras coluere sorores,
Ambo uirgineis incubuere choris.
Quid? mea Clio iacet funestis oblita uittis?
Quid? pheretro imposita est tanta Thalia suo?
O me non uiuam, cum sic mea uita labascit.
Harum uita, mihi uiuida uita fuit.
Patria cur dicor? cum fœlix patria non sim?
Cum geminis gemmis orba relicta stem?
Sunt mihi, sunt proceres multi (sit gratia Christo)
O utinam uiuant secula multa mihi.
Sed proceres cecidere tamen, (quis namq; negabit?)
Et procerum illustri sum uiduata pari.
Non nego, sunt qui me rapidis tueantur ab undis.
Nonne tamen merito fracta carina uocer.
Sunt quedam scio fulcra mihi, sed fulcra ruerunt
Atq; adeo nostri non mala fulcra soli.
Lumina sunt, at non seruant duo lumina lumen,
Extinctæq; duæ sunt sine luce faces.
Hoc ego terrifico sic conquassata fragore:
His allisa malis, his agitata modis:
Tabeo, nobilibus membris luxata duobus,
Lippio, quippe oculis capta misella meis.
Quare, summe deus, mœritas cum suffero plagas,
Cum digiti miseram me tetigere tui:
Desine iam tandem dextram uibrare rubentem,
Desine sulphurea me lacerare manu.
Desine sublimes, irato fulmine montes
Perdere, & amplorum tecta ferire Ducum.
Quas habeo stellas, mecum permitte nitere,
Atris ne tenebris obruta tota stem.

Cumq; tuus dux sit, tuus & clarißimus heros,
Henricusq; tuus, Carolus atq; tuus:
Sit meus Eduardus, longum percursitet æuum,
Viuaciq; gerat sceptra Britanna manu.

Eiusdem in Carolum

EN breuem pompam, lubricamq; scenam,
EN leues fluxus, simul & refluxus,
En rotis quantis, uicibusq; quantis,
Cuncta ferantur.
Vt notus reflat Zephiris amœnis?
Vt nigrat Phœbum madidosa nubes?
Vt serenatum pluuiosus arcet
Aera nymbus?
Qui suos fleuit, uenit ipse flendus,
Hic suis bustis uenit ingemendus,
Hic citus flatus, citus & reflatus
Cernitur esse.
Planxit ad magni cineres Buceri
Carolus paruus, pietate magnus,
Nunc graues planctus mihi subministrat
Mortuus ipse.
Cum Bucer, Bucer, geminaret iste,
Eccho cum nullum resonaret ille,
Ceßit é uiuis, sequiturq; suaui
Morte Bucerum.
Scilicet palmes pereunte uite
Putret, & gnatus moriente patre
Occubat, certé pia membra languent,
Si caput absit.
Caroli funus fuit ô beatum

Qui

Qui suo charo comes est Bucero,
Heu tamen nobis, patriaeq; nostrae
Lugubre funus.
Non quod e uiuis abijt, dolemus,
Sed quod ante annos abijt, dolemus,
Hoc scholae lugent, lachrimatur aula,
AEthera clamant.
Ille non florem tetigit iuuentae,
Ille non cursum stadio peregit,
Vix stetit, statim cecidit nouellus,
Vixit, obitq;.
Exit e matris gremio benigno,
In trucis lethi gremium malignum,
Instar exuccae stipulae restincta est
Flammula uitae.
Cur rapis paruos male dicta Parca?
Parceres saltem puero uirenti,
Parca non dulcis pueri secares
Dulcia fila.
Putridos surcos potius reuelle,
Quid ferox plantas teneras rescindis?
Quid nouos fructus, tibi non parata
Colligis horas?
Sed nec autumnus, nec opima messis
Venit, hic uerno cecidit sub aestu,
Ergo quid ferro stygeo, quid illum
Falce metebas?
Sed queri cesso, quia surda mors est,
Nec semel captos sinit euolare.
Tu uale Brandon, ualeas Bucere,
Ambo ualete.

Αὐτῷ εἰς τὸν ἡγεμόνα.

Μοῦσα τί νεκρὸν θρηνεῖς; τί νεκρὸν στένεις;
τί γενναῖον δακρύεις τὸν ἡγεμόνα;
σὸς γὰρ ἡγεμὼν ζῇ, οὐκ ἔτι τέθνακε.
σώματι ὢν θνητὸς, καὶ πνεύματι ὢν ἀθάνατος.

τί μέμφῃ; γνησίως βασιλεῦ ὁ νέος
νῦν ὄντως εὐτυχὴς, ὄντως νῦν ὄλβιος.
ἀνὴρ ὑπάρξας, γίνεται οὐράνιος
ἀποτυγχάνων χθονὸς, ἔτυχεν αἰθέρος

τί πενθεῖς; γαῖαν φυγὼν, κόσμον τε λιπὼν,
ὄλυμπον κρατεῖ, μεγάλως δῶμα θεοῦ.
Εὐγενὴς ἐὼν πάλαι, νῦν εὐγενέστατος.
Πλούσιος ἐὼν πάλαι, νῦν πλουσιώτατος.

τί κλαίεις; τὸν γὰρ μισθὸν οὗτος ἔλαβεν,
ἔχει βραβεῖον, ἔχει εὐδαιμονίαν,
Ἆθλον ποθητὸν ἔξευξε, καὶ στέφανον,
ὡς λαμπρῶς γὰρ λαμπρότης ἐν ἄστροις σελαγεῖ

ἀλλ' οὖν ὦ μοῦσα παῦσον, παῦσον ὦ θεά
παῦσον ὦ μοῦσα γοερὸν ἀείδειν μέλος.
μᾶλλον τὴν χαρὰν καὶ τῆς χαρᾶς παρέχε,
καὶ δὸς εὐσεβῶς ὑψίστῳ δόξαν θεῷ.

Michael Ronigerus.

Q*Vamuis luctificos ostendunt carmina uultus*
Funestamq; gerit pallida charta luem.

Ne

Ne tremebunda tamen referas uestigia lector
Seu tibi perplexos larua sit ante pedes:
Ne tibi perculsos quatiat timor horridus artus
Vellicet aut teneras aspera cura fibras.
Plena timoris enim res est & plena doloris
Hic timor ipse tremit, plangit & ipse dolor.
Res lachrimosa leues querulis ululatibus auras
Implet, inexhaustis atq; redundat aquis.
Ipse cauernosis immugit luctus in antris
Et dolor horrisono squallidus ore fremit.
Tu tamen eneruis lector ne cede dolori,
Aut pallescenti carmina fronte legas.
Ne tibi surrectos crispet formido capillos
Aut timida intortam uentilet aura comam.
Nam ploranda legis truculentæ funera mortis.
Et faciunt istas mœsta sepulchra schedas.
Quod legis, atq; uides, est lamentabile funus:
Funus ab augusta nobilitate duplex.
Musa refert geminum crudeli morte cadauer,
Atq; duplex funus, funebris ipsa, refert.
Forsitan indignum quod musa cadauera tractet
Et metrico claudat funera mœsta pede.
Illa solet blandis spaciari læta camœnis
Et tenera faciles uoce ciere iocos.
Non ad tabificum sueuit descendere funus,
Sæuaq; lugubri ueste sepulchra sequi.
Ipsa sepulta iacet, si tractet musa sepulchra:
Torpet, & obtusa carmina mente facit.
Ast in floriferis ludit uernantior herbis,
Ad lubricos nimium luxuriosa iocos.

Sed

Sed quamuis modulis gratas mulcentibus aures,
Musa sit authori, deliciosa suo,
Illa procax nimium tamen est, & musa petulca,
Quae nunq̃ pullas induit atra togas.
Quae nunquám querulos elegos, tibiamq; canoram,
Funus ad eximium, magnificumq; ferat,
Saepe sepulchrales agitat dum uoce dolores
Flebilis, ornatum funeris, ipsa sapit.
Et gemibunda leuat mistros ad funera planctus,
Singultusq; quatit surda sepulchra suo.
Huc igitur lector uigiles conuertito sensus,
Ne timeas, cum non funera musa timet,
Heu funesta lues nullis saturanda querelis,
Et grauior tragicis Iliacisq; malis.
Quam non undoso lachrimarum flumine posset,
Heraclitus lachrymis ipse piare suis.
Quam gemibunda licet Niobe moerore perenni,
Non tamen irriguis fleret abunda genis.
Siue quis infractas fletu collidere cautes
Posset, in his posset se macerare malis.
Scilicet Henricus uixit memorabilis heros
Cui genus augustae nobilitatis erat.
Heu uixit, uixit, sed iam miserabile dictu
Mortuus est, satis hoc sit retulisse semel.
Hunc populosa ducem uidit Suffolcia clarum,
Gaudebatq; suo splendida facta Duce.
Non aliud quo se iactabat, nomen habebat,
Namq; Duci nomen praestitit illa suum.
Illa Duci celebris fulgentia symbola stirpis,
Grandisonumq; sua nomen ab urbe dedit.

An quæ nobilitas rutilis splendentior armis
Esse potest, quàm quæ de duce, nomen habet?
Mittamus reges, & regum stemmata longe,
Principe, nullus honor, uel duce, maior erit.
Non tamen insignes mors horrida spectat honores
Aut illustre genus, magnificosq; patres.
Nobilis Henricus, sed mors ignobilis illum
Deuorat, ille fuit mitis, at ista ferox.
Negligit excelsam generis mors liuida pompam,
Nobilis est, seu non nobilis, illa ferit.
Illa lacunatis operosa palatia tectis
Intrat, & exangui corpora sternit humo.
Non rogitabundus remoratur Ianitor illam,
Aut clausas pulsat leniter illa fores.
Irruit in thalamos macilenta fronte reclusos.
Nec thalami dominus, rustica quærit, ubi est.
Sed minitabunda contorquet spicula dextra
Et uiua, exanimi corpora mole, grauat.
Sanguinis est expers facies, rubidiq; pudoris,
Ossea frons nullo tincta pudore riget.
Iactat at exuccam maciem, uultumq; strigosum
Et quatit excarnes ossea fulcra pedes.
Ac oculos cæcos vmbrosa foramina præfert,
Et nudo graciles explicat osse manus.
Planiciesq; caput rigidum globulosa renudat,
Canicies summo uertice lata micat.
Brachia arundineo longum tenduntur ab osse,
Et laxos humeros ossea massa facit.
Ossaq; prominulas faciunt crepitantia costas:
Obstreperæq; gemunt, aridulæq; suræ.

Pendula uix fragili coalescit uertebra flexu,
Aut compacta hærent nexibus ossa suis.
Luxatumq; genu refugo protuberat osse,
Mobile curuata mole resultat epar.
Ossea mors tota est, sensu nec tangitur ullo,
Atq; pari in cunctis est feritate minax.
Ossa caput faciũt, facies est ossea, uultus
Osseus est, per naris opaca patet.
Membraq; tortilibus patefacta anfractibus horrēt;
Exossata suis, uulsaq; cuncta locis.
Costæ scalarem seriem numerumq; sequuntur,
Ac allisa suis sedibus ossa crepant.
Ossa medullari prorsus sunt orba liquore,
Sicca magis stipulis coctilibusq; uitris.
Nil sentire potest, nulla mollirier arte,
Nulla mulceri nobilitate potest.
Ossea tota riget duris adamantina costis,
Pectore namq; caret, sanguifluisq; fibris.
Nil poterit flecti, sed inexorabilis urget,
Non etenim sensus participare potest.
Quis loquitur morti, quamuis grassetur ubiq;?
Ossea mors tota est, quid iuuat ergo loquī?
Illa uicos omnes clamosaq; compita terret,
Atq; pari cunctos conditione premit.
Et subit umbrosas ædes & deuia tecta,
Ac humiles uexat, fumiparasq; casas.
Nunc in latiuagis grassatur sæua plateis,
Longaq; uulnifera iugera falce metit.
Nunc tacito penetrat laqueata palatia gressu,
Ac aulæatas, marmoreasq; domus.

Atq; reclusa subit uasti penetralia tecti,
Peruigilesq; uices excubiasq; latet.
Non metuit bifores portas, ualuas bipatentes
Quin nec ferrisonæ pessula dura seræ.
Siue supercilium quod tollunt atria longum,
Altaq; culminibus dissita tecta suis.
Siue loricatā crustoso marmore frontem,
Atq; striaturis omnia sculpta suis.
Non quæ truncosis surgunt pinnacula nodis,
Non fastigatum turriferumq; caput.
Ne se nobilitas cuneatis iactet in aulis,
Mors nullam curam nobilitatis habet.
Namq; cauis oculis funestas incutit umbras,
Et moribunda suo membra tremore quatit.
Non stipatores spectat famulosq; nitentes,
Scutiferosq;, premūt qui sua terga, uiros.
Mors furtiua uenit, nulloq; satellite septa,
Ossea carniferam non habet illa cutem.
Forsitan est istæc dicis popularis imago,
Terret & indoctos ossea larua uiros.
Sic illum fusco ducunt penicilla colore,
Sculptilibusq; facit dextra perita notis.
Non est larua fugax, iam tūq; uolatilis umbra,
Illa quod est, possint ipsa sepulchra loqui.
Cæca ruit, rabiosa furit, furiosa triūphat,
Atq; pari queuis nomina sorte metit.
Nam populabundo cum iam profluxerit æstu,
Ac infernali læta superbit equo:
Magnanimos rapit Heroas, regesq; tremendos,
Et prisca celebres nobilitate duces.

Non illis uitreæ signata est singrapha uitæ
Vita suis pernix uoluitur vsq; rotis.
Quò me iusta rapit rapida de morte querela,
Illam musa suo figere dente cupit.
Namq; ducis laudes, quas secula nulla tacebunt,
Publicat altisonis publica fama tubis.
Eius in æternas crescunt encomia chartas
Viuaciq; manet perlita charta cedro.
Et rediuiua capit uegetas a funere uires
Fama, senescentem dum fugit alta situm.
Ergo sanguisugam mortem mea musa lacessit,
Et bili uoluit soluere frena suæ.
Ac crudescentes uix ausa mouere dolores,
Effari haud potuit tristia fata ducis.
Iamq; pruinosæ postquam concesserit iræ,
De duce, uoce potest liberiore loqui.
Occidit Henricus Brandon, Suffolcia nomen
Posterius, celsa nobilitate legit.
Dux fuit a teneris statim celeberrimus annis,
Atq; puer rutili iubar honoris erat.
Dumq; uirescebat prima fœcundus in herba
Nobilitas tenerum cinxerat alma caput.
Et iam fulgenti radiabat splendidus astro
Doctus & in casta palladis arte fuit.
Ac consummato lucebat plenus in orbe
Flamniferaq; procul lampade clarus erat.
Mors grassabunda restinxit lumina peste
Sæua, triumphali cum ueheretur equo.
Pieridum cultis iam pubescebat in hortis
Gaudens ingenuis, doctiloquisq; scholis,

Florida musarum semper uiridaria lustrans
Scripturæq; colens blanda roseta sacræ:
Imbibit ingenuas innuptæ palladis artes
Ac Heliconiacas impiger hausit aquas.
Dux fuit in studijs, uexillaq; sustulit alta,
Flammiuomas alijs pretulit ipse faces:
Vtq; Ducem studijs longos producere soles
Cernunt, hac omnes incaluere siti.
Languida tum laceræ recreabant pectora musæ,
Fulsit & auspicijs læta Minerua nouis.
Plaudebant mutilis truncatæ cruribus artes,
Mortuus illarum ferme reuixit honor.
Nam Cantabrigiæ studiosas appulit oras
Illa Duci in studijs omnia fausta dedit.
Carolus hic aderat fraterno fœdere iunctus,
Frater, & Henrico proximus ille fuit.
Atq; duo tota fratres de stirpe fuere,
Istis cardinibus fulta propago fuit.
Ambo sequebantur literas, musasq; disertas,
Ambo pares studijs, ingenijsq; pares.
Ambo Duces clari fuerant, Henricus ab ortu,
Carolus Henrici funere factus erat.
Ambos crudeli mors lurida funere preßit,
Atque duces uno sorpsit auara die.
Sed quales? castis edoctos artibus ambos,
Et pura Christi religione pares.
Si literas laudare uelim, laus fertur in altum,
Namq; Duces docti, sydera rara, micant.
Clara salutifero doctrina redundat honore,
Atque salubris honos, est literatus honos.

Nam qui purpureo literæ decorantur honore,
Auriferis redeunt aurea secla bonis.
Et iam flauicomis meßis maturuit aruis,
Autumnusq; suas expediebat opes,
Quum mors carniuora deglutit fauce gemellos,
Fratres magnificæ stemmata clara domus.
O nimium rigidas parcas, adamãtina fata,
Ac immatura funera tarda nece.
Prima lacertosæ lanugo nigella iuuentæ,
Vix cæpit teneris crescere rara fibris.
Flos erat ætatis, roseos quum forma colores,
In nitidis cæpit pingere læta genis.
Quum saltabundus circum præcordia sanguis
Luderet, & tepido grata iuuenta sinu.
Tristia festiuæ non parcunt fata iuuentæ,
Illa trahunt iuuenes tardigradosq; senes.
Immatura licet merito deflere sepulchra,
Factaq; præcoci funera cruda nece,
Illud at irriguis plorandũ semper ocellis
Liuida quod doctos fata tulere duces,
Edoctos puro diuini semine uérbi,
Ac impolluta relligione pares.
Nobilitas, literæ, pia dogmata, læta iuuẽtus,
Dant madidis iugiter flumina plena genis.
Ambo duces, doctiq; duces, iuuenesq; fuere,
Atq; duces ambos abstulit una dies.
Apto magnifici structura corporis ambo
Clarebant, ambos perdidit una dies.
Cætera quid laudem uiuacibus edita scriptis?
Cum laudum cumulos abstulit una dies.

 Nunc

Nunc pullas igitur capiat Suffolcia uestes,
Namq; tui Heroes interiere simul.
Vna uorago duos sorpsit, iam naufraga plange,
Antiquæ perijt tota propago domus.
Tota capillifera stirps de radice reuulsa est,
Et fructicosa iacet stemmata uulsa fibris.
Brandonum nomen cæcas concessit in umbras,
Eius prosapiæ germina nulla manent.
Mortifera prostrata iacet truncata securi
Plantula de toto stemmate nulla uiret.
Extinctum genus est Brandonum, nulla superstet
Emicat in toto lacta fauilla foco.
Ista pharetratæ sunt odia rancida mortis
Stemmata quòd lato gutture tota uorat.
Quæ lachesis neuit curtato stamina uitæ
Cur non in longum stamina clotho trahit?
Et cur fila secat summo pendentia fuso
Quæ nullas Atropos audit acerba preces?
Ista cothurniferis sunt funera digna theatris,
Et tragicis facibus grandisonisq; metris.
O mala digna uago quæ deplorentur iambo.
Dignaq; quæ scena liberiore fluant.
Aut quæ lentigradis spondæis alta ferantur
Mæonio & uincat secula longa pede.
Nam superat humiles elegos, tenuesq; querelas
Cruda magis fiunt uulnera, tacta magis.
Vt fluit æquoreas Danubius altus in undas,
Et tamesis uitreas in mare iactat aquas:
Sic & inexhaustos ructant hæc funera fletus,
Ac inconsumptis cura resultat aquis.

Ergo

Ergo cupreßiferis Suffolcis cincta corollis,
Fleto duces geminos, lumina fleta tua.
Flere tibi reliquum est, parcas ulciscere fletu,
Irrora lachymis grata sepulchra tuis.
Atq; sepulturas tumulis insignibus orna,
Quaq; potes uiuant nomina parte tamen.
Nomine fac uiuãt, postquam non corpore uiuunt:
Ne uoret illorum nomina tempus edax.
Neue gulosa duces deglubat & alta uetustas,
Atq; cauernoso fossa sepulchra specu.
Nam quamuis tumulus defuncta cadauera claudat,
Sint tamen æterno nomina scripta cedro.
Ingluuiosa cupit summas obliuio laudes,
Semper in umbrosis illatebrare cauis.
Ergo longæuas geminâ Suffolcia laudes,
Et ducibus ponas alta trophæa tuis.
Non illos abedat quæ rodit cuncta, uetustas:
Atq; Saturninis tempora lapsa rotis.
Nomina non intrãt tumulos, nec fama sepulchris
Conditur, a tumulo clarior illa micat.
Nam uirtus seniem nescit, rugasq; retortas,
Aut lenta pietas flaccida tabe cadit.
Quod pheretro gestant, tantum est exangue cadauer.
Fama magis (ueluti carcere missa) nitet.
Illa suis modulis argutas imbuit aures.
Et uibrat æternum, dulcifluumq; melos.
Viuit inextincta post funera lampade fama,
Fama ducum uiuet, fama perennis erit.
Terra sepulcrales protendat fossa spheluncas,
Illa tamen solum triste cadauer habet.

Aut

Ast animus scandit stellati climata celi,
Iungitur æternis, angelicisq; choris.
Non ergo deflere ducem Suffolcia poßis,
Sed te, quæ ducibus sis uiduata tuis.
Tu iactare ducum laudes & nomina poßis,
Cum peregrina tamen terra sepulchra dedit.
Defunctos clausit Bugdon terrestribus ulnis,
Illa dedit funus, mortiferosq; thoros.
Tu tamen extremo resona clamore, ualete,
Lumina nostra ducis, uiscera nostra, duces.
Et mæstas uoces geminato, ualete, ualete,
Forte tibi referent rauca sepulchra, uale.
Iam conclamatum tandem Suffolcia quum sit,
Nostra tibi referet languida musa, uale.
Tu quoq; qui tristis uersas hoc funebre carmen,
Dic longum ducibus lector amice, uale.
Eiaculare pia cum uoce, ualete, ualete,
Illa tuæ testis uox pietatis erit.
Namq; sonis quamuis uanescunt uerba caducis,
Attamen hæc animi sunt documenta tui.
Tu quoq; dum uiuis lector, reminiscere mortis,
Incerto ueniet mors tibi certa die.
Nocturnis etenim ueniet furtiua sub umbris
Hæc est fortunis ultima meta tuis.
Ergo memor mortis, fragilem traducito uitam,
Vita uelut fluidis bulla labascit aquis.
Aut uelut umbra sequax tenues gracilescit in auras,
Vtq; uagæ noctis somnia cæca uolat.
Ergo ne nimium fugitiuæ fidito uitæ.
Viue, memẽto mori, uiuito, disce mori.

Viite, uale, lector, gelidiq; memento sepulcri.
Viue, uale, discas lector amice mori.

Vuilielmus Vuatremānus.

FRatres Christus amat, fratrum concordia Christo
Gratus honos, Christum dilige, frater erit.
Rara tamen terris, fratrum, fraterna uoluntas.
Exhibet hanc raram frater, & alter, auem.
Carolus est frater, sortitus nomen & alter,
Henrici, iuncto nomine Brandonides.
Commendat Christus fraternæ uincula uitæ;
Exornant fratres hanc pietate noua.
Hic moriens, illi claudentes lumina morte,
Vt fratres omni sint in amore pares.
Corporis, & mentis, par laus, trutinata bilance;
Quanquam diuerso, disparilíq; modo.
At uirtus ubi nulla facit discrimina, tempus
Fecit, & in partu nomen inane fuit.
Carolus inferior nascendi iure, libenter
Sic fuit, Henricus non cupit esse prior.
Ast hominis sic fert stabilis natura caduci
Non uno nasci tempore posse duos.
Ergo nascentes, quo non potuêre tenelli,
Crescentes, satagunt funere posse frui.
Mors etenim (faciens æquatis nomina rebus
æqua) dabit cœlo, quod dare terra cupit.
Sat ô cœlestes, cupidæ remanete parenti,
Christus habet fratres hic, & ubiq; suos.
Viuite, uult hic. uiuite, uult hæc. uiuere fratres
Vt uiuant fratres, uiuere uelle negant.

Scilicet

Scilicet hoc metuunt, si sit discrimen honoris,
Concordes dirimat ne male dispar bonos.
Trudit amicitiam templis, foribusq; potentum
Ambitio, sacræ uirus amicitiæ.
Quides euertit præstandi dira libido:
Cladibus heû nimijs Anglia docta, docet.
Vera nimis, tumidos sapientia diua relinquit,
Et solidus regni est fœdere nullus amor.
Non usû docti hoc, Musæ sed munere fidæ,
Horrescunt tanti damna tulisse mali.
Ite procul Pylades, & (fictum nomen) Horestes:
Vendicat hæc istos gloria uera duces.
Qui prima fuerant concordi mente Iuuenta.
Hos quasi discordes ultima fata uident:
Alter quod raperet mortem, non cederet alter:
Sancta tamen lis est, & sine felle breuis.
Carolus assensit (tanta est reuerentia fratris)
Præuius ut maior, Dux, uolet inde minor.
Nam sic terra pares, cœlumq; per omnia uidit,
Dux agmen ducit, Dux, sequiturq; Ducem.

Ecloga lucæ purefeyi.
Affectus, Ratio.

NAuis ut æquoreas, uentis agitata per undas,
Et rapidis tumidi fluctibus acta sali:
Fortia prærupto frangit retinacula cursu,
Iamq; per immanes flamine fertur aquas:
Vt nec sessor equum stimulo pungente refrenat,
Crispa nec effusi colla reflectit equi:

Mens ita mortiferi punctis impulsa doloris,
Totaq; tartareis dilacerata malis:
Distrahit ingenij robusta repagula certi,
Consilij nec uult frena ferenda pati.
Huc rapit affectus rutilo uiolentior igne,
Ast illuc ratio, consiliumq; uocat.
Affectus igitur miseras dic musa querelas,
Quóq; trahat ratio, nostra Thalia refer.

Affectus.

O cælum, o terra, o superi, quæ secula? quales
Aspiciumt rerum tempora nostra uices?
Omnia, sors agitat, subuertit & omnia, quid non
Deijcis incertis o dea cæca rotis?
Spargite ploratus, mæstos effundite fletus,
Humectent liquidas flumina plena genas.
Vocibus excelsas penetrate sonantibus auras,
Verberet infestus sydera summa dolor.
Saxa sonent, rupes, (si quis modo sensus in illis)
Talia lugubri tempora uoce sonent.
Hæc uolucres querulo describite tempora cantu,
Improba, siluestres, dicite fata, feræ.
Occidit (heu nimium fatis extincta nefandis),
Occidit heu duplex gēma, decusq; duplex.
Occidit Henricus, desle Suffolcia mortem,
Occidit Henricus, dux fuit ille tuus.
Carolus occubuit (nam te quoq; fata petebant
Carole) cum charo Carole fratre iaces.
Dira nimis premitis, fatalia numina, parce,
Mittitis infesta tela cruenta manu.

Nil

Nil studium mouit? nil fertile flexit acumẽq;
Ingenijq; nihil lumina tanta bonis
Ah, meruit longam diuina scientia uitam,
Et probitas longos inuiolata dies.
Parcẽtisne ullis? probitas non maior in ullis,
Tolluntur iuuenes, uiuit & ecce senex.
O dolor, o rerum facies miseranda, quis isto
Vulnere, non miserẽ saucia corda gerit?
Vixerat Henricus, paucos prouectus in annos,
Ingenij fructu uixit at ille senex.
Vixerat Henricus, iuuenili corpore florens,
Sed stomachus iuueni non iuuenilis erat.
Vixerat Henricus, dedit ipsa Britannia uitam,
Illius at laudes gallia tota sonat.
Quis uirtutis amore musas quæ cura terendi?
Protector ueri dogmatis ille fuit.
Insita diuini refouebat semina uerbi,
Præceptis habuit pectora culta pijs.
Mors tamen hunc grauiter telo percußit atroci,
Et tulit indignam perniciosa necem.
Occidit, an solus? Non solus, at occidit unà
Indolis eximiæ Carolus ille puer.
Idem morbus erat, pestis quæ oppreßit utrumq;
Vna, dies fratres sustulit una duos.
O nimium gemino miserabile funere tempus,
O semper duplici clade notanda dies.
Nunc occlusa graui, compreßaq; lumina somno,
Luce carent, saxum corpus inane premit.
Oßa teguntur humo, carnes sunt uermibus esca,
Non remanẽt uires, forma, decusq; perit.

Hei mihi sic tenebris mutatur uita profundis,
Perpetua uirtus nocte sepulta iacet.
Sed mihi non dabitur tantis uox apta querelis,
O Henrice uale, Carole, dico, uale.

Ratio.

TOLLE graues lacbrimas, gemebundaque tollito uerba,
Neue tua refrices ulcera cruda, manu.
Nil regit instabili fortuna uolubilis axi,
Omnia sed nutu numina sancta suo.
Stamina lanificæ non ducunt illa sorores,
Ατροπος haud uitæ pollice fila secat.
Sede sed omnipotens nobis infundit ab alta
Vitam, qui uitæ terminat ipse diem.
Hic hominum fixo signauit limite uitam,
Hic dedit, hic aufert qui dedit ante deus.
Quàm citò bulla cadit liquidis quæ surgit in undis?
Quam celeri fallax auolat umbra pede?
Sic fugit & uitæ cursus, sic auolat ætas,
Omnes umbra sumus, nil nisi bulla sumus.
Flos homines agri, floris decus, æstus adurit.
Gloria sic hominum morte trahente perit.
Fata manent omnes, fatis incerta sed hora,
Fœlix qui domini uoce uocante, uenit.
Ille uocat iuuenes, canos uocat ille capillos:
Cui tandem est uitæ singrapha certa suæ?
Alta superborum mors uadit in atria regum
Ac humiles pariter pulsitat illa casas.
Sic sequitur mortem promiscua turba trahentem:
Sed mors est sanctis uita beata uiris.

Non furiæ torquent, non horrida tingit Erynnis,
Non rictus lacerant, Cerbere dire, tui.
Non phlegetonta uident iusti, stigiasq́; paludes,
Credentes Christi dextra sed una tegit.
Corpus humum pascit, mens corpore libera, campis
Elisijs fruitur, uiuit & ipsa Deo.
Cur igitur fuso languescunt pectora planctu?
Cur ita profusis ora rigantur aquis?
Astrigera fœlix Henricus in arce triumphat,
Henricus superos occupat ecce polos.
Syderea potitur cum Christo Carolus aula,
Inferiora sibi Carolus astra uidet.
Huc ô mortales, huc cursum flectite uestrum,
Istuc quisq́; lubens ingrediatur iter.
Sæpe uocat dominus, dominus iam sæpe uocauit,
Allicit en uerbis, supplicijsq́; trahit.
Ergo deo ne quis rigida ceruice repugnet,
Ne cadat in cunctos ira tremenda dei.
Discite maturo peccata restinguere fletu,
Discite sincere dogmata sancta sequi.
Sic pater omnipotens summo nos iunget Olympo:
Sic dabit & nati regna tenere sui.

Eiusdem

Εὔστημος θάνατος κακόχαρτος ἔσφαξεν ἀδελφοὺς,
Εἰ γὰρ ἔχει νεκρῶν σώματα νεκρὰ κόνις.
Ξυστήμας κύριος πανάριστος ἔσωσεν ἀδελφοὺς.
νῦν γὰρ ἔχει θείων πνεύματα δέμα θεός.

Theodorus

BLanda, peregrinum, sepeliße Britannia uatem,
Indoluit nuper, quem scilicet, hospita tellus,
Millibus annorum cuperet mansiße magistrum:
Sed, repetita nocet uehemens iactura Buceri.
Ille quidem foelix Christum uidet. Ecce recentes
Incumbunt nobis lachrymæ. Nam nota charibdis
Impleuit rigidas, heroum funere, fauces:
Queis spoliata gemit lugubriter Anglia, sepe, &
Fando, sic longum uerbis testatur amorem.
Numquis in hoc populo Brandonum sanguine cretus
Restat? ab interitu qui uindicet aurea stirpis
Stemmata? nemo subest, heu nescia fata repulsæ
Florentem posito, palma, succenditis igne,
Purpureum florem peramœni rumpitis æui,
Par erat hic saltem, scelus, astimuisse superbum.
Hem periêre duô, udeant. Periere potentes,
Quid tum? quid? celsæ duo propugnacula gentis
Tum periere, pari frater cum fratre peremptus,
Conquerar? an fleam? iustis agitata querelis,
Audite ô proceres, dein spem fugitote caducam.
Henricum peperi, gaudebam. Quippê benignus
Infans, magnanimum referebat imagine Patrem
Vt peperi, musis ornandum pectus alumni
Commisi: nullis, (pudor est mentita referre)
Artibus indocilem reperit tritonia Pallas.
Atq; equidem memini, solus subijßet harenam
Inter nobilium certamina docta scholarum,
His simul affulsit generosus, & inclitus ardor,

Mentis ubi comptum quæſiſſet Olympica uirtus.
En benè maturis iam nunc adoleuerat annis,
Stultaq; ſublimeis inſtabant poſcere fructus,
Cum mors curriculò mors turbida prendit euntem.
Et ſubitò prendit, quali Proſerpina raptu
Dicitur inferni ſpectaſſe cubilia Ditis.
Qualiter aut obiit Saloninus Pollio, cuius
Olim Sicelidum, riſiſſe, fefellerat omen.
Nec contentus eum mactando letifer arcus
Dilectum ſimili percuſſit arundine fratrem.
Qui puer extinctum cum fleſſet abiiſſe Bucerum,
Nunc puer extinctus comitatur, & ipſe Bucerum.
Neu fruſtrà loquar, heus, tumulo concludite Carmen.
Carolus, Henricum iuuenem, puer unicus, unum
Ex clara reliquum ſobole ſequiturus, eadem
Linquebat dulces animas ſub luce, locoq;.

IOANNES MVLLYNS.

Ἀνθρώπων μερόπων εἴ τις ἔχων φίλους
Προσκαίρων ἀγαθῶν κτήματα ἢ καλὰ
Τούτων εἰ στερεθῇ δυστυχίαν κατὰ
Οὐ λυπεῖ γε λίαν καὶ μάλ᾽ ὀδύρεται;
Ἀλλ᾽ εἰ σῶμα βλαβῇ χειρί τις ἢ πόδα
Ἢ οἷς, ἥλιον ἣν καθορώμενος
Φῶς αἴγλην τε καλὴν οἷς θαῦμα λύεται
Παντοίων τε κακῶν καὶ διασώζεται
Οἷς, εὐδαιμονέων εὖ λείπει βίον
Πάμπαν τ᾽ ὄμματά τῷ εἰ ἀπολεῖεν ἂν
Τῷ νῷ τόνδε κακῶς ὣς διακείμενον
Ἦς ἀλγεῖν ὀδυνᾶν ὥς τε νομιστέον;

Ἀγγλῶν παμμεγέθης ἡ βασιλεία μὲν
ἴσχει ὄμματα ὡς πλεῖστα φαεινά τε
ἔσχηκεν μέχρι νῦν ἄλλα γε μήποτε
ἢ μείζονος κλέεος κάλλεος οὔνεκα
ἢ λυγκειότερόν πως διακείμενα
ἡρώοιν νεαροῖν οὓς θανατὸς νέων
ἡμῖν ἀνδροφόνος παῖδας ἀφήρετο
Οἷς κλωθὼ ὀλίγῳ πλείονα ἂν ἔτη
τῆς ἀκμῆς ἐδίδω ἡλικίας μέχρι
Οὕτως ἡμέτερον μακάριον χθόνα
Πάσῃ τῇ ἀρετῇ πᾶσί τε τοῖς καλοῖς,
Ποιήσειεν ἂν ὡς χρύσεα ἤματα
ἔμπροσθεν τὰ βροτοῖς αὖ ἀγάγοιεν ἂν
Καὶ γὰρ ῥᾶδιον ἂν τοῦτο ἐποίεον
Παίδοιν γὰρ νεαροῖν καὶ ἔτι νηπίοιν
Θαυμάζων λίαν ὃν δ'ὄντε τὶ πολὺ
ἀμφοῖν οὐκ ἐνέην σώμασι καὶ φρεσὶν
Ζητεῖς μὴ τὸ γένους ἡγεμόνος κλυτοῦ
ἦσαν σπέρμα καλόν γ' ἡγεμόνες κλυτο
Τῶν ἄλλων νεαρῶν φέρτεροι ἦ φυῇ
Τοὺς ἄλλους μὲν ὅσον φωσφόρος ἀστέρας
Πάμπλειστον νικάει φωτὸς ὑπερβολῇ
Εἶδος μὴ ἀγαπᾷς. κάλλει ἦσαν οἱ
Νάρκισσοι θεατοὶ. ἄνθεα χρύσεα
Χλωροῖς εἰαρινοῖς λάμπεται ὡς νομοῖς
Οὕτως ἡμετέροις ἀνδράσιν, οἱ νέοι
Τὴν ψυχήν τι λέγω ἢ καὶ ἐλευθέροις
Τέχναις λαμπρότατα γράμμασι καὶ καλοῖς
Γλωσσῶν γνώσει καὶ ἤθεσι δεξίοις

ἀμφοῖν

ἄμφοιν ἔθεντ' ἂν θαύματος ἢ μέχρι
Τούτους ἡμέτεροι ἄνδρες ἰδόντες ἐν
Τῆς εὐδαιμονίας πύργον ἐπάξιον
ἄνθη τῶν ἀρετῶν ἄρτι δρέποντες εὖ,
ἤλπιζεν χρυσέους κίονας αὖθι μὲν
Ἀγγλοῖς ἐσσομένους εἰς βίον ἄφθονον
Καὶ μὴν ἦσαν ὃν ἐν διή ἔμενον βίῳ
Τοῦτ' οὖν λέξον ἐμοὶ ἥ διὰ αἰτίαν
αὐτῷ ἤματι καὶ ἀφνίδιον πανὺ
ἄμφω πυρκαϊᾷ ἦσα διέφθαρεν,
ἢ μὴν ἐσσομένους οὕνεκ' ἐὰρ...
Φοίνικας ἅμα τρεῖς καὶ ἕνα ὃν μονον
ἀνθρώπους τε βροτους καὶ ελεεουμενη
Οὐ τρεῖς ἡελιους ὅνκ ἅμα εἴασεν
Φθαρτῶν γάρ γε βροτῶν ὄμματ' ἂν ἔφθαρον,
αἴγλας δύ δε ἑνος μη δυνατά φέρειν.
ἥρωας δε, βροτῶν πολλὸν ὑπερφρονᾶν
Τῶν λοιπῶν ἐνδεῆ καὶ διὰ τοῦτο δὲ
Θυμὸν ἤνδανε τῷ πάιδε μεθισάναι
Εὖ εἰδυῖα νοῶ τ' ἐσσόμενον κακὸν
ἣν καὶ ζῆν ἐάσῃ εἰς ὀλίγον μόνον
αἰών γάρ χρύσεος γ' ἐρχόμενος πάλιν
Εἰς ἀγγλοὺς ταχύ ἦν. μοῖρα δ' οὐ θέλει.
Χρυσοῦς ὃν γάρ ὁ νῦν ἀλλα σιδήρεος
Οὐκοῦν ἡγεμόνας τους δε τί κλαίετε
Τάς ψυχάς ἀπρεπῶς ἢ τί ταράττετε
Καὶ γάρ τῇ ἀρετῇ σώματι καὶ φυᾷ
Βραχυλοῦς παρὰ κίονας ἤλυθον
Ἔξω τοῖς γε βροτοῖς οὐκ ἔνι ἐκπλεάν
Καὶ γὰρ τοῦτο θεοῖς ἐστι πεπρωμένον

 Οὐκ

Οὐκ οὖν παιδία μὴ αὐτὲ διαζόμαι
ἄνθρωπος γάρ ἐὼν ὁ, πέρσα διδά τι.

Ιωάννου ὁ τοῦ μοῤῥκνου, ςίχη ἐν τῆ δεξονίου
διατρίβοντος.

ΣΩματα πλεῖςα Θεὸς κτήνας θανάτοιο διαλεμένου
σὺν φλογὶ τοῦ πυρετοῦ σύντελ' ἰδρῶτι πολλά
Οὐ πρότερον βάλε κάλλιον ἢ μὲν θεῖον ἄγαλμα
ὃ τῷ γῦν πότμο πλῶμα ταγοῖο διδοὺς:
Χάρις τοῦτον ἰδοῦσα κακῷ βληθέντα β' ιοςῷ
Πέπλον ῥῆξε καλόν συχνὰ λιβοῦσα δάκρυ.
Πῶς μοι τέκνον ἐρῶσα θάνες; τίς μοι φθόνος ἐςί;
Τὶς κοινὸν τοσονὶ βόυλετό βλάψαι θεῶν;
ἡ δὴ πιερὶη τοῦτον κονίαις ςρωθέντα μαθοῦσα
Οἴμοι φασα πολὺ πένθει ῥίψε λύραν:
Τὶς μοι βῆ τύχη μαλα βασκαίνουσα τοσοῦτον,
ὥςε πεσεῖν παίδων τάχα κράτιςον ἐμῶν;
Τὶς μετ' ἐμον ᾄδοις ἀπό τον δὴ διοςτ' ἀειδέν;
ἢ ἀδονᾶ πλήκτρον τέρψαι δυναῖτο φρένας;
ὣς δὴ φοῖβος ὁρᾶ γεγονὸς τοξεύμασι χαίρων
Παιδὸς ἀμυκλαίου μνήσατο σφόδρα πάθος.
Δεύτερα νῦν ἰάκινθος ὀλεῖ, ἐὸ ςήθεα πλήξας,
ἦ. καὶ τόξα τεθεὶς ῥεύματα θερμὰ χέε:
Καὶ τότε τεθνῶτι, ὥσ υἱῷ μέλπεται τάδε
Σημαίνων κραδίης τραῦμα, καὶ ἄλγος ἑοῦ
Κτησόμενος δόξαν ἡρώων ἔγγονε πλείςην,
ἀνθρώπων παρὰ τοὺ γῆ φέρε ὠκυμόρους.
Νῦν θνητῶν φωςῆρα σε θαυμάσουσι φαεινόν:
Ουρανίων τε χόρος, σον δὲ φιλεῖται τρόπους
ὥςε τιμῆς ὁσίας λάχες εἰς αἰῶνα μενούσης
Καὶ πλοκάμους κεφαλῆς ςέμμα καλύψε ῥόδον

ταῦτα

Ταῦτα λέγων ἀπεφθέγξατο φωνή
ἧς βοᾷ τοῖς ἀθανάτοις ἐπὶ ... λίαν.
Τί τόσσον κλαίεις κασις φῦ στέρνα παταξας
ἢ ὅτε φῶς μείραξ λείψατ' ἄωρα γλυκύ.
Κεῖνος ἄνω βαίνων ἄφθαρτον ... ἐμμεμάθηκε
Καὶ λαμπρᾶς στίλβων ἥματα κεῖνος ...
Παῦε τοινῦν θρῆνον, καὶ μητρὶ ταῦτα τεκούσῃ
Λέξον ὅτι υἱῷ χάρμα πάρεστι μέγα.
Καὶ Κάρολος φήμῃ κασίγνητος ἴνδαλμον ἐσάω,
Φύσιν καὶ κάλλος πάμπολυ θαῦμα ...
Σήματι τοῦτο λίθων ἐνδόξων στίχα γλυπτῷ
Γραφέσθων ἵν ἂν ἢ ἐύστατα μνημοσύνη.
ἑνρικον ἐνταῦθα κενθεῖ χ' ὁμογάστορα καὶ ...
ὀρχάμοιν τε δυοῖν, χθὼν γε πρόσωπα μία:
Νῆσον βρεττανίων καρπὸς, καὶ γέννα καλίστη
οἴχεται, γενναίων ὥστε θανεῖσθαι κλέος.

Τῶν αὐτῶν.

Η Συντυχὶ ἀνατρέπουσα κρείττονα
Νόσων τε ποικιλία, ἡ βαρυτάτη
Καὶ φθινοβρότον μοίρας θυμὸς χαλεπὸς πάρ ...
Καὶ στυγεροῦ θανάτου δῆγμα οὐ τλατὸν
ἄρχοντα κράτιστόν τε καὶ εὐφυέστατον,
Κάσοι τε σὺν καλῷ μόρῳ γε προὔδοσαν,
οἳ κάτθανον ἥβης σφριγῶντες ἄνθεσι:
ἐφ᾽ ᾧ κλάει ἅπαντες ἀγγλίας πόλον
Τεθνηκότας ποθοῦν, γοερῶστ' ὀδύρεται
Καὶ μαλακῶς λίαν θρήνων ἐφάπτεται
ὅτι ἀρετῆς κάλλοι πάσαις πεφύκασι
Τρόπους, καὶ παυλίαν θεῷ παραπλήσιοι.

EIVSDEM SAPPHICI
Versus.

HEu nimis grandem iaculatur iram,
Concitus Christus uario furore,
Cum cupit poenas hominum feroces
Mittere factis.
Non senum parcit miseræ senectæ:
Nec uigescentis pueri coloris:
Nec grauis partu meminit puellæ:
Crimina mulctans.
Punit at cunctos simili periclo,
Quos plaga ultrici tetigit flagello,
Siue sit purus, uitiõ ue turpi
Fœdus ab omni.
Sic Gomorræam facibus iuuentam,
Sic Palestinam, gladio cecidit.
Eximens nullum, licet ille, sæpe,
Vixerit insons.
Sic duos fratres rapuit cruentum
Nobiles, fatum, fluido sudore:
Qui nitescebant studiis, pudico
Compede iuncti.
Henricum Suffolcia copiosa
Iam Ducem amisit, puerumq; clarum,
Dum manum irati Domini potentem
Anglia sentit.
Hos sub egesta breuis urna, terra
Contegit, quos uulnere sauciata
Haud leui mater, sepelit sepulchro
Flebilis imo.

Fundit

Fundit & falsas lachrimas, Deumq;
Heu nimis durum uocitat querelis,
Quod sinit tales tolerare mortis
Tela seuera:
Queis genæ molles, teneruumq; collum,
Corporis tum forma decens: ocelli
Sole splendentes aderant micante
Purius orbi.
Sed tamen lenire potest dolores,
Quod receperunt iuuenes coronas
Gloriæ, quæ certa manent amanti
Præmia lucem.

EIVSDEM.

CVM quartum formare diem contenderet orbis
Conditor, & uellet mixta dicare locis,
Sidera constituit, quarta clarissima luce,
Vt sit sius boni, signaue certa mali,
Et sicuti herbarum succis conferre salutem
Aegrotis, Medici dextera docta solet,
Quod plantis uires donarit prouidus author,
Quas semper stabiles iussio sola facit,
Vt quoq; seminibus Medicus depellere morbos,
Aut tenui membris sæpe liquore queat,
Quod sint perpetuò uirtutem nacta potentem
Quam certo stringunt limite uincla Dei:
Sic quoq; syderibus concessa est summa potestas,
Vt duraturis fluxibus illa regant.
Nam quæ sub mundi fabrica, quæ subiacet, alma,
Quam uelamento uitrea Luna tegit,
Consistunt

Consistunt, sint illa maris portenta fouentur
Aut uolucrum turmæ, quas nemus omne fouet,
Seu sint, quæ siluis densis armenta uagantur,
Aut genus humanum, quod dominatur eis:
Omnia stellarum cursus sibi subdita saluant,
Aut gelidæ exponunt mortis ad arbitrium:
Hiis etiam rerum debet se fertilis annus:
Hortus si pomis, aut sit arista grauis:
Seu uiridi rident, & aprica fronde iumenta:
Aut si grex ouium, sit ue caterua boum:
Deniq; quicquid erit, quod in orbem proferet humus,
Astra, Dei, retinent, nutibus, esse suum.
Quorum, qui motus norunt, cognoscere poßint,
Illa quod Anglorum causa sudoris erant.
Nam cum uis Martis Saturno falce uetusta
Obstaret, nec erat fœdus amicitiæ,
Sed malè concordes rumpebant iura, locisq;
Disparibus multò stabat uterq; minans.
Tum quod contigerint eclipses tempore ueris
Quæ morbos secum perniciemq; ferunt,
Hæc Anglis turbam miseris tribuere malorum
Bryttonumq; stragi membra dedere graui.
Sic uirtute ducem plorat Suffolcia clarum:
Carole tum luget te periisse simul,
Non tamen omnino casu cecidere maligno,
Præmia sed iuuenes, famaq; magna manet.

IOANNES BIDILLVS.

BRandonos insigne genus, par nobile fratrum
Cum subita è terris mors rapuisset atrox.

Tantarum

Tantorum iuuenum de fato ac funere miſsi
Cum foret in uulgus fama uagata prius:
Omnis amans Patriæ tantas Spes luget ademptas;
Ordinibus cunctis nuncius ille grauis,
Præcipue doctis caſus uenit iſte dolendus,
Nobilibusq; uiris, maior utriſque dolor.
Nobilibus docti, doctis & ſanguine clari
Erepti iuuenes, lumina magna duo.
Nobilibus doctisq; ſimul decora ampla futuri,
Hi fuerant fratres, clara propago ſuis.
Relligio & literæ magnos habitura patronos,
Longior in terris ſi data uita foret.
Illis cura fuit ſacris incumbere ſcriptis,
Et literis clarum condecorare genus.
At ſubito è medio rapuit mors atra ſerenos
Fratres, ſic hominum fallere uota ſolet.
Horrida uis fati, flores quæ præripit almos,
Quàm ſolidos fructus tempora plena ferant.
O quantæ ſtirpis perierunt ſemina prorſum,
Spem gentis magnæ ſuſtulit una dies.
Scilicet iſta dei peccatis debita noſtris,
Iraq; iuſta fuit, & grauiora manent.
Progenie tanta non eſt gens Anglica digna,
Eripit indignis, quæ dedit ante, deus.
Ipſis illa dies non eſt lugenda duobus.
Qui viui remanent, ijs cadit iſte dolor.
Illis lucra mori, nobis at triſtia damna,
Virtutis tantæ queis periere ſata.
Noluit hos opifex mundi, contagia mundi
Contrahere, & longas hic retinere moras.

Ne pia corda malis morum corrupta uenenis
Deficerent, cœli condita adire domos.
Illuc nunc degunt, uiuunt, regnantq́; beati,
Sic Deus electis consulit usq; suis.
Fœlices animæ, pietas queis cura, laborq́;
In terris, sequitur uita beata pias.
At nobis pie parce Deus, qui degimus imis
Hactenus in terris, quos uagus error agit.
Da Pater omnipotens nobis bona dona, datisq́;
Rectè uti, & grates mente referre piu.
Quantum & quale bonum das cœli altißime rector
Quod pius Eduardus prospera regna tenet.
O nos fœlices, & tali Rege beatos,
Si benefacta Dei, donaq́; nosse libet.
Da Deus ut tanto grati pro munere simus,
Et maneat proprium perpetuumq́; bonum.
Relligio, literæ, uirtus, bona cuncta, uigebunt,
Si regna Eduardo perpetuata manent.
Rex ô summe precor Reges qui præficis orbi,
Serues Eduardo regna beata diu.
Daq́; ut cœpisti mentem meliora sequentem,
Atq; tuum uerbi dogma tenere sacri.
Da populo imperiis animo parere modesto.
Et Regi officium reddere rite suo.

GEORGIVS KENNVS.

ECquid erit quicquam toto funestius orbe?
Aut ullas poterit terras inuadere pestis
Vnquàm tam fera, tam grauis, aut tam prorsus acerba?
Occidit Henricus, clarißimus occidit heros,

Carolus

Carolus occubuit summæ pietatis alumnus:
Occidit excellens uirtus, & splendor uterq;.
Væ tibi, uæq; tuis miseranda Britannia regnis.
Quas merita es plagas? quæ nunc incommoda nobis
Ingeris? heu quantas commoti numinis iras?
Quàm miser est hominum status, & quam uita caduca?
Cœtera si quibus est excellens insita uirtus,
Sunt eadem multos quoq; duratura per annos.
Marmore nil etenim, nil est diuturnius auro,
Et quodcunq; aliquas naturæ munere uires
Obtinet, id spatio est etiam durabile longo.
Ast homo, nec longo, nec certo tempore uiuit:
Nascitur, & moritur, nil est nisi bulla per undas.
Et quanto est melior, tanto est breuiore manendum
Tempore: scilicet est nostrum minus aptus ad orbem.
Nam sumus indigni, qui uos retinere probatos
Improba debuimus gens, & maledicta beatos.
O uos fœlices igitur, qui pondere carnis
Deposito, iam nos iussistis uterq; ualere.
Nos contra miseros, qui uos nec cernere uiui
Præsentes, nec morte sequi possimus ademptos:
Sed licet: hoc saltem postremum dicere χάιρε.
Nam uobis aliud nil possum dicere quicquam.
Ergo uale dico uestrum, nunc mœstus, utriq;.
Idq; precor tandem quos uos iam contigit esse,
Tempore me talem Dominus uelit esse futurum.

HENRICVS SQVIERVS.

PErfida si sæuis unquàm Fortuna restauit
Ventis, iam nobis hæc truculenta fuit.

Nam perijt stabilis veræ pietatis amator:
Qualem non (credo) tempora nostra ferent.
Nam quamuis fuerat, præclaro stemmate natus,
Thesauris plenus, diuitijsq; fluens;
Non tamen hunc fragilis vexauit gloria mundi,
Virtutis semper quum studiosus erat.
Et magis hoc mirum, paucos numerauerat annos
Ipse puer purus, dogmata pura sequens.
Ergo uirtutis rigidus cum cultor habetur,
Iussa dei firmo pectore fixa tenens:
Est certe fœlix iuuenis, qui (corpore trito)
Incola nunc cœli gaudia mentis habet.
Nos miseri potius vitiorum ualle profunda,
Obruta cum iaceat mens onerata malis.
Hunc omnes iubeant iterumq; iterumq; ualere,
Quos sacræ tangit relligionis amor.
Ergo precor capiat cœlestis gaudia vitæ,
Viuat & in regno Christe benigne tuo.

Queræla Oxoniēsis Academiæ ad Cantabrigiam. Iacobus Calphilus.

Quid, nisi sollicitum subeat tibi sæua doloris
Causa soror nostris? Mihi quid nisi triste subire
Lætiferumq; potest? Ego pangere læta triumphos
Rebar honoratos: Ego dijs authoribus aras
Libatura fui: fructus ego gaudia uestri
Expectanda magis, quàm deploranda putabam.
Ast, ubi fata vocant, subita quassata ruina
Spes iacet: & vitæ melior fortuna recumbit.
Iamque, nec exhausto remanent in corpore vires,
Nec requies animo est: sed vt intabescere lentis

Ignibus: & rapido mollescere solis ab æstu,
Cera solet: misere sic mens mihi liquitur ægra.
Nanque graui feriunt labantia uulnere corda
Et dolor: & duræ grauis inclementia mortis,
Iamq; mihi restat post funera cruda nepotum,
Nulla, nisi casus miserandos flere, uoluptas,
Dum tibi non dabitur, stabili potiare salute,
Nec mihi perpetuo, solida gaudere quiete,
Dum ueniunt oculis nunquam nisi tristia nostris
Infandumq; iubent animo remouere dolorem,
Horreo: cum nostri referens primordia luctus,
Mors subit insignis non immatura Buceri,
Nec queo præ lacbrimis ueras expromere uoces,
Alterius damni cumulo depressa, nouiq;,
Quòd iacet ante diem, teneris ablatus in annis,
Sola Sudouolcæ ditionis gloria, læto,
Crudelis nimium, quisquis fuit ille deorum,
Post varios casus: & amara pericula vitæ
Gaudia qui nobis inuidit læta uicissim,
Sed Deus haud quisquam est: neque sunt ea numina Ioue.
Nam quid? An iccirco genuit quo perdere possets
Iccircone dedit membris uitalibus auras
Infuditq; animas, remeent vt in abdita terræ
Viscera conclusi tumulo? pereantq; creati?
Num dedit & terras: & apertum gentibus orbem,
Et genus imperio totum mortale parauit,
Vt sinat extingui meritæ præconiũ laudis
Et gregis interitu, manuum monumenta perire?
Non inuisa adeo, mortalis ferrea vitæ
Conditio: neque tanta animis cœlestibus ira.

Sed quia præcipitis fati secura iacebas,
Nec puduit ueteris uestigia carpere uitæ,
Lausq́; decusq́; perit:, erit actæ gloria uitæ.
Grataq́; doctrinæ neque æquam fama parata.
Tuq́; ô infœlix, modò quæ priuata parente:
Infœlix iterum, Duce nunc primaris alumno,
O ego quid facerem? tales immota dedisset
Si mihi fata duos: Ego solo Martyre fœlix,
Admiranda patro. Neq́; sunt ingloria nostra
Tempora: sunt omni præstantes laude ministri,
Sunt sacri iuuenes; sunt linguis docta loquentes,
Sunt alij: quorum celeberrima fama per orbem
Discursura breui Tu, tabe miserrima lenta
Liqueris, & meritò: cum non tuerere salutem
A qua pendebant uenturæ gaudia uitæ.
Sed tamen audito tristis clamore ruinæ,
Congemo, & in nostrum crudeles funera Parcas
Fas odisse mihi. Quia dira sorte tulerunt
Infantes Heroas, auito stemmate claros,
Non poterant alia satiari sæua cruore
Fata, nisi infantum? quorum uagitibus aër
Immensum reboat? quos ut sua pignora quondam
In nimio squallore iacens Academia luget?
Non sat erat Phagium? non sat cecidisse Bucerum?
Ni dulces animas, genitricis ab ubere raptas
Auferat atra dies, & funere mergat acerbo?
Frangimur heu fatis miseri, ferimurq́; procella,
Perdidimus nostri pariter decora inclyta regni.
Sed quid agam, nullis unquam satianda querelis?
An te sæua soror consors, autorq́; doloris,

Defigam

Defigam ominibus diris? An tempora dira
Criminer infœlix? Tu fortunata uocari
Debueras: & ego te fortunata sorore.
Nunc tu funeribus tantis euicta tuorum,
Commiseranda iaces: Ego spe frustrata perenni,
Nec quid agam noui: neq; quo uestigia uertam.
Scilicet elatos rebus fortuna secundis
Non tulit: At rapido querens noua limina curru
Mutata facie permiscuit imfima summis.
Sic ubi succedit Ioue pulso zona Niualis,
Non micat umbriferis obductus nubibus aër,
Sed retinet uentos, incertaq; fulmina Mauors:
Aut ubi fulmineo gelidus cum Marte Saturnus
Congreditur: celerisq; fugam moderatur Olympi,
Mutat nocte diem: radiisq; potentibus astra
Ire uetat: uentosq; ciet: terrenaq; miscet.
Ergóne praeterea, nobis tot funera passis,
Expectanda salus alia est, similisq; prioris
Non ea contigerit: neq; sunt ea tempora nostra
Vt mala perpeßis potior Fortuna recurrat.
Ergo soror: fatum quia non incauta timebas,
Dispoliata tuae Duce defensore salutis,
Fertor in errorum scopulos: submersaq; toto
Obruere Oceano. iactere Papalibus undis.
Euomat infandum stygio sub acumine uirus
Turba Papistarum: scelus ex pulmonibus imis,
Saeuitiamq; animi teterrima pestis anhelans.
Namq; quid expectes? quae spe admota recursus?
Quae uiae? quae ueteris uitae fiducia restat?
Vnde petes alij noua nunc solatia portus?

Vnde petes Zephiros? & uela fauentia uentis?
Portus in ignoto est: quia tu Palinure peristi,
Vela tulit ventus: quia te, Dux, fata tulere.
Iamq; Bucere uale: Tuq; ô Henrice parentum
Gloria. Iam Parcæ procul hinc auertite uestra
Numina. Mortali natorum semine, nunquid
Exitus unus erit? Mortalia parcite fata:
Parcite. Iam fuso satiantur sanguine Manes.
Iam mea, cum fremitu, non proficientia cessent
Murmura: Sit stolidis prior abstinuisse querelis
Quàm plorasse labor. Ne temnite munera Iouis.

Henricus Gunuilus.

CArmina funereis superaddere mœsta sepulchris,
Pierides uates edocuere suos.
Hinc celebrem celebrant epigrammata docta Maronem,
Et tumulo cultum carmen Erasmus habet.
Hinc pius immani consumptus morte Bucerus,
Doctiloquo dignus carmine, carmen habet.
Ergone lugubri prostrata cadauera uersu
Plangere cessabis Musa canora ducum?
Tela, quibus teneros nisi mors misisset in artus,
Discrutians sæua corpora sancta nece:
Plauderet his viuis alacri Suffolcia cantu,
Transigeret lætos Anglia læta dies.
Nunc gemit extinctos querulo Suffolcia fletu,
Transigit & mœstos Anglia mœsta dies.
Ecce vna gemini fratres tumulantur in urna,
Heu nimium patriæ funera flenda suæ.
Hæc iactura duplex, hoc irreparabile damnum,

Me iubet (ab) patriæ fata dolere meæ.
Sed neque fœmineo decet ista reuoluere planctu,
Tristis nec lachrymæ uincere fata ualent,
Quin precibus dominum castis pulsemus Iesum,
Poscamus pura numina sacra fide:
Vt quum sustulerint geminos pietatis alumnos,
Consimiles iterum dent probitate duces.

Ioannes Dayus.

O Mors cur flammas ructasti faucibus acres,
Hunc Ducem clarum, cur temerasse iuuat?
Anglia si poteris loqui tunc argue mortem
Quæ sic consumpsit languida membra Ducis.
Quæ tellus peperit, genuit Suffolcia faustis
Auspicijs, celebrem nobilitate Ducem,
Morte perit, nec cœli. sydera conspicit iste,
Suffultumq; caput cespite cumbit humi.
O ploranda lues, ô secula, secula tetra,
In quibus ex uiuis tollitur orbis honor.
At fletus cessent, simul & mutabimur omnes,
Tollitur hic mundo, sed Iouis æde iacet,
Sic nos tollemur, Nam mors supereminet omnes,
Quisque & diuinum cum Ioue Numen erit.
Ergo lætemur sublatum uiuere cœlo,
Orbatam patriam, sed doleamus eo.

Armigillus Vvadus.

RElliquias uiduæ natos, duo pignora matris,
Brandonæq; domus, cassaq; hac luce parentis,

Loetifer extinxit crudeli funere sudor.
Vsqueadeo nihil est toto durabile in orbe.
Regna, genus, tituli, populi, urbes, stemmata, mores,
Omnia sunt vicibus subiecta rapacibus. Vnus
Qui manet ex omni nunquam mutabilis æuo
Est deus: in cuius gremium suffolcia proles
Vtraq; terrenæ sordis pertæsa, refugit.

Thomas Pitteus.

O Lugenda dies, deflendaq; tempora nobis,
O sors infœlix, & miseranda nimis.
Iam uere emicuit, patris indignatio summi,
Iam grauis, horrendi iudicis, ira patet.
Ah tua nos potuit mors præmonuisse Bucere,
Quæ foret indomitis, uirga parata, uiris.
Stulta sed heu mens est, in pœnis cœca futuris,
Stertimus, incautos opprimit ira dei.
Iam deus incenso plectit, torquetq; furore,
Nos capimus factis, præmia digna, malis.
Sustulit, ah geminos (dictu miserabile) fratres,
Irati nobis, sæua ministra, dei.
Hic dux, ille puer, clari uirtutibus ambo,
Occidit at iam dux, occidit ille puer.
Dux fuit Henricus uirtutum tramite ductus,
Pura tibi fuerat, Carole, uita, puer.
Non ergo illorum, deflendas iudico sortes,
Lugenda est multis uita grauata malis.
Illi cum Christo uiuunt, sine fine, beati,
Nos infœlices terq; quaterq; sumus.

Thomas

THOMAS VVILSONVS AD OXONIENSES HVMANISS. tam pie Suffolcienſium mortem lamentantes.

ERgo mori pulchrum eſt, nec honor leuis eſſe uidetur,
Cum quos terra tulit, terra relicta gemat.
Et pius hic dolor eſt, & ſummo plenus honore.
Vos decus adſertis, uos manet ergo decus.
Quos modò planxiſtis Dominos, nunc pangite diuos:
Namq; Duces reddit, mors ſine morte, deos.

EPITAPHIA IN ALIOS HEROAS HONORABILES, & in Heroidas ornatiſſimas.

IOANNES CHECVS IN MORTEM OPTIMAE VIRGINIS Margaretæ Neuillæ Reginæ Catarinæ a Cubiculis.


PVrpureum extinxit lumen mors atra iuuentæ,
Aſt nullum lumen mens habet inde minus,
Nunc miſerũ Corpus, fœlix mens tẽpore ponis,
Post idem ut melius ſumere uiua queas.
Chriſto uiuebas, mundo nunc mortua, mundo
Quæ moreris uiuens, mortua uiue deo.

GVLIELMVS CECILEVS IN eandem Virginem.

Eſt nihil hic tutum, nihil eſt niſi præda furentis
Mortis, quæ nulli parcit, auara necis.
Quid genus aut uires quid gloria proderit iſtæ
Inuida quam rapiet mors furibunda manu.

Non

Non uirtus, probitas, non sanctimonia morum
E fatis poterant hanc retinere sibi.
Quæ modo erat uitæ nobis dum uixit imago,
Nunc moriens nobis prævia mortis erit.
Quam uirtus fecerat claram, dum uixit in orbe
Nobilis est moriens relligione dei.
In studijs consumpta pijs pars maxima uitæ est.
Et similis vitæ mors fuit eximia.
Nec generis Neuilla fuit tantum tibi curæ,
Vt fama hinc fuerit nobilitata tua.
At probitas claram, uirtus te reddidit orbi
Illustrem, fecit relligioq; piam.
Corporis hæc fuerant (non nunc sunt) forma, uenustas,
Ast animi pietas, iam uiget, atque ualet.
Te deus ornauit, statuit, dixitq; beatam
Hoc uita edocuit, mors quoq; testis erit.
Reginæ fueras Catarinæ adamata puella,
Terrenæq; suæ delitiæ fueras.
At decus est maius, quàm posit quàm mente reuolui,
Quod cum sis Christi filia, percipies.
Mortem sanctorum statuit deus esse beatam.
Mortua Neuilla es, sancta sis, atque pia.
Donec uixisti cunctis tua uita placebat,
Cum domino melius nunc eris, ergo Vale.

Eiusdem Gulielmi Cecilli in eandem.

MEns fuit in Casto Neuillæ corpore casta.
Fœmina, uir, uirgo discite, uirgo docet.
Mens peperit pregnans, uirtus in uirgine partus.
Semen pura fides, relligioq; parens.

Cœli

Cœli Ciuis erat, sanctis conscriptaq; Consors,
Hanc deus edicto, mandat adesse die.
Iussa tenet, mortem superat, super æthera scandit
Hæres fit Cœli, filia fitq; dei.

Antonius Cocus in eandem

EST alijs aliud laudi, Neuilla reliquit
Diuinæ specimen quid potuere manus.
Ite mares primæua docet, quæ summa notamus,
Non ea sunt sexus, temporis, atque loci.
Iudicium, pietas, linguarum munus, & artes:
Quum uolet, emanat spiritus, vtq; uolet.

IN CLARISSIMAM CATARI-
NAM ANGLIAE REGINAE.
Antonius Cocus.

ME blandita uenus, faciesq; inimica pudori
Deturbant solio, mors rapit, itq; cruor.
Flenda forem, nisi terribili non territa læto,
Occumbens docui temnere uiua necem.
Deprecor haud culpam, fluit ultro uictima sanguis,
Fulmina placari sic puto posse Iouis.

THOMAS CHALINERVS IN
Margaretam Neuillam.

IMproba dum teneræ, populata est uirginis artus
Atropos, immiti falce (Neuilla) tuos:
Quàm bene condigno superos ornauit honore,
Tam male nos tanto, priuat acerba bono.
Nil potuit lætis succedere tristius unquam
Auspicijs, de te quæ prope certadabas.

Tanta puellaris fuerat præstantia formæ,
Tam præstans uarijs dotibus ingenium.
Quid quod inexhausto sitiebat pectore Christum,
Immoriens sacris nocte dieq; libris.
Sic tamen, ut uitæ potius conamine sanctæ,
Non obscura tui signa dares studij.
Et iam ter senis turgebas nubilis annis,
Spes non unius inuidiosa proci,
Cum te Zelotipæ, telum immedicabile, Parcæ
Surripuit terris, restituitq; deo.

Henricus Knoleus

Vixi olim celebris medijs, in fluctibus Aulæ,
Meque in delitijs primis, regina tenebat.
Me decus ingenij, me stemmata clara priorum,
Me decor insignis, spectatæ & gratia formæ.
Me morum grauitas, me lingua perita, manusq;
Multiplices edocta artes, linguasq; sonosq;
Reddidit illustrem, nomenq; insigne parauit,
Hæc insensatus mundus colit, expetit, ambit,
Cuncta licet pereant & cedant πρόσκαιρα in umbras.
At mihi uos eritis testes, uos ô generosæ
Et Dulces uitæ comites, Claræq; sorores:
Quod non sic uixi mundo, ut Carni placuisse,
Atque inconsulti captasse ἐγκώμια uulgi,
Vsque mihi curæ fuerat, mea gloria namq;
Christus semper erat, cœlum mihi patria semper.
Vnus enim ille crucis splendor, magniq; trophæa
Regis, me acceptam fecere deo atque beatam.
Vnus & ille fuit mea gloria, pompa, triumphus,

Virtus, uita, salus, spes, unus & omnia Christus.
Vixi ergo infœlix, patria procul, exul in orbe.
Vita sed in terris ubi iam mihi nulla superstit,
Redditæ in optatos campos, aulamq́ paternam
Iugiter impertit Christus spiracula uitæ,
Vnius & Christi dulci spiramine uiuo.

IN DVCEM CAROLVM BRANDONVM PATREM SVFFOLCIENSIBUS IOANNES PARKHURSTUS.

CAROLVS exigua iacet hac Brandonius in urna,
Heroum splendor, gloria prima Ducum.
Quem flent magnates, quem flet promiscua turba,
Quem luget madidis Anglia mœsta genis.
Integritas cum quo sunt Nobilitasq́ sepultæ.
O quantas gazas contegis urna breuis.

Aliud.

Carole te strauit Mors, quem Mars ipse nequibat:
Est magnum, Mortis scilicet, imperium.

EIVSDEM IN FOEMINAM CLARISSIMAM IANAM REGINAM Angliæ Franciæ & Hiberniæ, Et Eduardi Regis nostri Matrem.

HIc iaceo, per quam tellus Britanna beatur:
Nomen si cupias noscere, Iana fui.
Henrico Regi coniunx fidißima nuper,
Filiolum peperi, deinde quidem perij.
Nec perij tamen, utpote cui sit uita perennis,
Et quæ perpetuò uiuit, ea haud perijt.

Aliud.

O Quid caducis rebus & fugacibus
Credas? quid umbræ lubricæ ac uolubilis?
En Iana, nuper totius Britanniæ
Decus, pusilla nunc in urna dormio,
Aegerrimo confecta nixu. Scilicet
Tanti fuit lumen, decusq; patriæ,
Reiq; culmen parturire publicæ.
Deflere noli me, uiator, mortuam:
Viuo, fruorq; gaudijs perennibus.
At ante, rerum in omnium affluentia
Cum uiuerem, tantum uidebar uiuere.
Tu, quod licet, meo diu feliciter
Fruare gnato, nam parente non licet.

EIVSDEM IN NOBILISSIMAM FOEMINAM CATArinam nuper Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam.

HOc Regina nouo dormit Catarina sepulchro,
Sexus fæminei flos, honor, atque decus.
Hæc fuit Henrico coniux fidißima Regi,
Quem postquam è uiuis tres rapuere Deæ:
Thomæ Seymoro (cui tu Neptune tridentem
Porrigis) eximio nupserat illa viro.
Huic peperit natam: A partu cum septimus orbem
Sol illustrasset, Mors truculenta necat.
Defunctam madidis famuli deflemus ocellis:
Humectat tristes terra Britanna genas.
Nos infelices mœror consumit acerbus:
Inter cœlestes gaudet at illa choros.

Clarißime]

IN CLARISSIMAM PVELLAM MARIAM, eiusdem Reginæ filiam, eiusdem Parkhursti carmen.

Qvam cum suæ dispendio
Vitæ, crebrisq; nixibus
Regina mater ædidit,
Sub hoc uiator, marmore,
Infans puella dormio.
Mihi cruenta longius
Si mors dedisset uiuere,
Illa illa matris optimæ
Virtus, pudor, modestia,
Cœlestis illa & mascula
In me reuixit indoles.
Nunc quisquis es, ualebis, &
Quòd plura non loquor, meæ
Donabis hoc infantiæ.

EDVARDVS COVPERVS IN MORTEM venerandi Patris M. Buceri.

QVI fuit in toto clarissimus orbe Bucerus,
Hunc subito nobis abstulit atra dies.
Qui tibi, Christe, fuit seruus, qui Pastor ouilis
Christe fuit uigilans, abstulit atra dies.
Grex tuus hoc Pastore lupos num Christe, timeret?
Vulture tutus erat, uulpeq; tutus erat.
Pastor abest, num non rediturus ouile relinquit?
Non uisurus oues anne Bucerus abest?
Huic, quia Pastor erat uigilans, pro munere cœlum
Christe refers, cœlum scandere Christe iubes.
Grex gemit intereà fatum crudele Buceri,
Pastore orbatum luget ouile suo.
Ergo tui miserere gregis, miserere Sionis,
Criste gregi sanctum præfice quæso uirum.
Intrat ouile lupus uigili custode remoto,
Præda fit heu cupidis plebs tua, Christe, lupis.
Mœsta suum uatem cur non Academia fleret?
Quem non excrucient fata, Bucere, tua?

Heu sæuæ nimium Parcæ, proh tristia fata,
Fata nimis sanctis accelerata uiris.
Nulla uiri potuit reuerentia, nulla mouere
Vos pietas potuit, nullaue relligio.
Quid tibi cum nostro, Mors ô uiolenta, Bucero?
Quid tibi cum Phagio mors uiolenta fuit?
Heu properata nimis Phagio, immatura Bucero
Mors uenis: ambobus mors properata nimis.
Inuida mors, unum quæ non es passa Bucerum
Viuere, Nelidis fata beata senis.
Anglia, quanta tibi fluxissent commoda, uate
Sospite, fluxissent Anglia quanta tibi?
Sed quorsum fletus, quorsum hic, Academia, luctus?
Mors communis agit, cuncta suborta cadunt.
Est uia mors omnis carnis, mors terminus æui,
Mors non grata malis, mors nisi grata piis.
Ossa recepit humus, mentemq; recepit Olympus,
Mens fruitur cœlo, putre cadauer humo.
Desinat ergo suum deflere Britannia uatem,
Quem Deus in requiem transtulit ipse suam.
Flere suum celebris Germania cesset alumnum,
Anglia, doctorem desine flere tuum.
Desine flere, tui nam uiuit fama Buceri,
Mens uiget, in cineres non nisi corpus abit.
Ergo uale, uenerande uale, Martine ualeto,
Gloria & ô patriæ summa Bucere, uale.

ALIVD EIVSDEM.

ARgentoratum luget, Germania luget,
Causaq; iam luctus qualis utriq; datur?

Hæc, quia partus erat, illud te luget alumnum.
Mæsta, Bucere, uiris mors tua utriq; fuit.
Vita fuit dulcis, sic mors tua tristis utriq;
Transitus à uiuis, ut pia uita fuit.
Vtq; erat aduentu Brytannia læta Buceri:
Sic fuit interitu mæsta, Bucere, tuo.
Anglia uate suo, sed cur gemit orba Bucero?
Orba parente suo cur schola nostra gemit?
Corpus inest tumulo, sed quæ pars corpore præstat,
Corpore deserto sydera summa colit.

THOMAS VVILSONVS IN CLARISSIMAM Ianam, Angliæ Reginam, & serenissimi Regis nostri Eduardi sexti matrem.

Pignore iam nato, cecidit mox optima Iana.
Nempe ferunt soles secula nulla duos.

Gulielmus Haddonus in eandem.

Principiis quatuor quæ constant cuncta, figuram
Altera in alterius species abeuntia sumunt.
Vtq; nouum terris genitali è corpore, mixtum
Gignatur, genitum corrumpi, fœdere certo,
Naturæ æternus docet inuiolabilis ordo.
Ergo mori pariens, naturæ ex ordine mors est;
Atq; sua uitam sic Christus morte redemit.

EIVSDEM VVILSONI CARMEN IN CAROlum Stanleum Cognatum Suffolciensib.

Vt tua sit fœlix & mors & uita, duobus
Carole tu, ducibus præuius unus, abis.

Vnus

Vnus abis terra, sed sic ut uterq; sequatur,
Vt Christo, & superis nuncius esse queas.
Te, doluere duo, cum te grauis ardor adußit.
Sed ueniunt post te, qui doluere, duo.
Neuter abesse potest, quem sic adamauit uterq;
Vt nemo plus te frater amare queat.
Quàm benè prouisum est, quòd sic praecedis utrumq;
Neuter abesse uelit, tu nec abesse potes.
Nam sicut unus eras, terrà sociatus utriq;,
Sic coelum ascendens unus, utrumq; colis.

GVALTERVS HADDONVS,
ipse, de se.

NON mihi corpus erat, uiuum fuit ante cadauer.
Mors ueniens, morbi sustulit omne genus.
Terra tegit terram, mens summis mentibus haeret.
Optima mors salue, peßima uita, uale.

EXCVSVM LONDINI
IN AEDIBVS RICHARDI
GRAFTONI, TYPOGRA-
phi Regij.

Cum Priuilegio ad imprimen-
dum solum.